

Hermann Heinrich Christian Schrader

**Observationum Rariorum Ad Rem Medicam Et Obstetriciam Spectantium**


**Fasciculus I**

Guelpherbyti: Sumptibus Meisnerianis, MDCCLX

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1687913242>

Band (Druck) Freier  Zugang







Ma - 3609.

Lege ma  
minuti

Legi bonum libellum, qui varia notata &igna  
conlinei.

Joh. Aug. Vogel  
idem accepit ab onhe.

J. P. Vogel fil. M.D.

1765.



OBSE

RE

AD R

ET C

FAC

HERM. H

CHIRURG. I

COLLEGI

RUINS



G

SUMPT.




OBSERVATIONUM  
RARIORUM  
AD REM MEDICAM  
ET OBSTETRICIAM  
SPECTANTIUM

*FASCICULUS I.*

COLLECTUS


AB

HERM. HENR. CHR. SCHRADER,  
CHIRURG. ET MEDIC. DOCTORE, ET IN  
COLLEGIO ANATOMICO-CHIRURGICO  
BRUNSVICENSI ARTIS OBSTETRICIÆ  
PROFESSORE.



GUELPHERBYTI,  
SUMPTIBUS MEISNERIANIS,  
M D C C L X.

MUNICIPALITATIS  
RATORUM  
AD RUM MEDICAM  
ARTORUM ET  
MUNICIPALITATIS



ILLU  
EXCE  
AUGU  
L. E  
IN VOL  
SEREN  
CONSIL  
ADI  
REGIMINIS  
CAME  
CONSUM  
STATUM  
EQUEST  
ORDIN  
COLLEGI LI  
SIMONS E



VIRO  
ILLUSTRISSIMO ATQUE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO,  
DOMINO  
AUGUSTO ADOLPHO  
L. B. DE CRAMM,  
DYNASTÆ  
IN VOLKERSHEIM, OELPER, JERZA  
ET BOCKENEM &c.  
SERENISSIMI DUCIS BRUNSVICENSIS  
ET LUNEBURGENSIS  
CONSILIARIO INTIMO ET STATUS  
ADMINISTRO, PRÆSIDI  
REGIMINIS PRINCIPATUS BLANKENBURGENSIS,  
CAMERARIO ET PINCERNÆ  
HÆREDITARIO  
CENSUUM PROVINCIALIUM CONSILIARIO ET  
STATUUM PROVINCIALIUM ORDINIS  
EQUESTRIS EPISCOPATUS HILDESIENSIS  
DEPUTATO  
ORDINIS ALEXANDRI NEWSKI  
EQUITI  
COLLEGIJ LIBERI IMPERIALIS CANONICORUM  
SIMONIS ET JUDÆ GOSLARIENSIS DECANO  
RELIQUA.



V I R O  
ILLUSTRISSIMO ATQUE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO  
D O M I N O  
J U S T O H E N R I C O  
D E B O E T T G E R ,  
D Y N A S T Æ  
I N L I N D E N E T H E L M S T Æ D T ,  
S E R E N I S S I M I D U C I S B R U N S V I C E N S I S  
E T L U N E B U R G E N S I S  
C O N S I L I A R I O I N T I M O E T S T A T U S  
A D M I N I S T R O ,  
J U D I C I I A U L I C I J U D I C I ,  
A C O N S I L I I S B E L L I S E C R E T I O R I B U S E T  
C E N S U U M P R O N V I C I A L I U M  
C O N S I L I A R I O & c .

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO ATQUE  
EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

HENRICO  
BERNHARDO  
DE SCHLIESTÆDT,

DYNASTÆ

IN SCHLIESTÆDT, KÜBELINGEN  
HAUS-NEINDORF REL.  
DUCATUS BRUNSVICO-LÜNEBURGICI,  
PER PRINCIPATUM GUELPHERBYTANUM  
PINCERNÆ HÆREDITARIO  
SERENISSIMI DUCIS BRUNSVICENSIS  
ET LUNEBURGENSIS

CONSILIARIO INTIMO ET STATUS  
ADMINISTRO

AUGUSTISSIMI DANORUM AC NORWEGORUM  
REGIS A CONSILIIIS CONFERENDIS

ORDINIS DANEBROGICI EQUITI  
COLLEGII CANONICORUM S. CYRIACI  
BRUNSVICENSIS

DECANO

CETERA.



DOMINIS SUIS INDULGENTISSIMIS

SERAM SENECTUTEM  
PERPETUAM INCOLUMITATEM  
OMNIGENAM SALUTEM

SAPIENTISSIMORUM CONSILIORUM  
ET SALUBERRIMARUM  
PRO PATRIA CURARUM  
FELICES SUCCESSUS  
ADPRECATUS

HUNCCE FASCICULUM  
OBSERVATIONUM MEDICARUM

TANQUAM  
SUBMISSISSIMÆ MENTIS MONUMENTUM  
DEVOTISSIMA PIETATE  
CONSECRAT

TANTORUM NOMINUM.

CULTOR OBSEQUIOSISSIMUS  
DEVOTISSIMUS  
A U T O R.





## PRÆFAMEN.

**Q**uas jam publicæ luci expono obser-  
vationum historias, sermonis elegancia et  
exquisito et venusto verborum lepore desti-  
tutas, illo præcipue caractere ut emine-  
rent, veritati minutissimis etiam in circum-  
stantiis, consonæ ut essent, omnem et ma-  
ximam curam impendi. Observationum  
illud studium, ab Hippocrate, verioris il-  
lius scientiæ, quæ medendo mortalibus suc-  
currit, Parente, maxime cultum et com-  
men-

PRÆFAMEN.

mendatum est, ceu fundamentum nostræ artis. Nicolaus Tulpius Amstelidum dum viveret consul, et Medicus superiori sæculo Clarissimus, in præfatione ad Petrum Tulpium filium, quam aureis suis observationibus, præfixit, observationes medicas, fulcra ac genuina artis medicæ stabilimenta pronunciat; et paulo inferius, hac certe scientia nihil Medicis utilius, inquit. Amplum enim ingeniose pergit et spatiosum est, in quo navigamus æquor, et in illo tot propemodum vada, quot morbi, et tam frequentes scopuli, quam scopi. Quorum periculis siquidem te satagas subtrahere, necesse erit cursum dirigere, per lineas a peritissimis Palinuris notatas, alias fluctuabis incertus, instar oberrantis alicujus Euripi.

Item,



## PRÆFAMEN.

Item, multo minus ulla artis decreta firma, quæ non comprobatur usus, qui omnium magistrorum superat præcepta. Omni illo tempore quo medicinam feci, in illa semper versatus sum opinione, accuratam morborum cognitionem historicam, optimum esse auxilium ad curationem felicem, inde enim facilis et proclivis via est ad invenienda remedia morbis maxime congrua. Multas Autorum citationes, et similibus observationum ab illis descriptarum, enarrationes, studio vitavi, ne crambem bis coctam apponerem, et pagellarum numerus sine necessitate auferetur, interdum saltem illas adposui ne quis, me tantæ arrogantia aut ignorantia credat, quasi nova et incognita proponere vellem, majoribus nostris  
jam



PRÆFAMEN.

jam notiffima. Hæc observationes bene-  
volo oculo si intuebitur Lector, quovis se-  
mestri unus fasciculus, scilicet circa nundi-  
nas Paschales et autumnales Lipsienses pro-  
dibit. Non solum casus rariores qui sese  
Praxi Clinica mihi offerunt, sed præcipue  
etiam quod in theatro nostro Publico Ana-  
tomico, sectione cadaverum, notatu di-  
gnum occurrit, illud omne Lector bene-  
vole tecum communicabo; Sequens Fasci-  
culus singularis paraphrenitidis historiam  
et quasdam ex comparata Anatome petitas  
observationes continebit. Fruere inter-  
dum et fave levidensibus nostris laboribus.

ELEN-

ELENCHVS  
OBSERVATIONVM.

- I. *Singularis casus inediæ.*  
*Puella XIII. annos nata, trien-*  
*nium fere, parcissimo et in-*  
*terdum notabili satis spatio,*  
*plane nullo cibo vivit.* p. 1
- II. *Partus laboriosus. Prolapsum bra-*  
*chium. Fœtus mortuus in-*  
*strumentis solutus.* - 15
- III. *Caput prævium oblique situm.*  
*Fœtus mortuus extractus.* - 19
- IV. *Nates præviæ. Fœtus præ-*  
*grandis instrumentorum ope*  
*mortuus educitur, salva et*  
*incolumi matre.* - 22
- V. *Casus ex alto Viri quinquagenarii.*  
*Sanguis fluit ex ore, naso et*  
*auribus ima pars scapulæ*  
*fracta &c. salvus evadit.* - 30
- VI. *Vir quadragenarius, cujus cervi-*  
*cem ramus quercinus tetige-*  
*rat, moritur altero mane.* - 33

VII.



VII.	<i>Vocis amissio, a ligatura et discissione nervorum recur- rentium in cane</i>	p.	36
VIII.	<i>De Rabie contagiosa.</i>	-	43
IX.	<i>Abdominis enormis contractio, viscerum imi ventris, situs plane mutatus, et intestino- rum invaginatio.</i>	-	75
X.	<i>Ebrietas summa.</i>	-	80
XI.	<i>Hydrops anasarca, puerperio su- perveniens, feliciter curata.</i>	-	83
XII.	<i>Menstrui sanguinis inordinatus fluxus.</i>	-	89
XIII.	<i>Artbritis s. Podagra.</i>	-	102

FASCI-



# FASCICVLVS PRIMVS.

## OBSERVATIO I.

*Singularis casus inediae.*

*Puella, XIII annos nata, triennium fere, parcissimo et interdum notabili satis spatio, plane nullo cibo vivit.*



### §. I.

Inter alios casus, qui sese mihi medicinam facienti, obtulerunt; hunc inprimis dignum judicavi, memoriae posterorum ut commendaretur. Auget numerum historiarum inediae, quorum magna jam copia a celeberrimis Autoribus prostat. Vestigia ergo illustrium Medicorum premissa, persuasum mihi habeo, me et hunc casum, non sine utilitate aliqua in medium proferre; cognitio

A

gnitio



gnitio enim morborum, solidissimum verioris therapiae fundamentum, optime ex curatius descriptis morborum historiis hauritur.

## §. II.

Jussu publica auctoritate, et quidem mandato Serenissimi et Clementissimi nostri Principis, missellum corpus puellae, hoc morbo extinctae, disseccandi, occasio inde nata est, interiorem ejus fabricam lustrandi. Id autem prae aliis monendum duco, quod, si quidam mihi objiciant, me non satis curiose, et ea, qua debuisset, diligentia, sectionis historiam condidisse, illi ut cogitent, plane impossibile esse sectionem legalem, ob nimis breve temporis spatium, et alia supervenientia incommoda ea *anatomica* perficere, qua fieri solet in theatris publicis anatomicis.

## §. III.

Haud me in causas hujus morbi diffundam, nec similes aliorum Autorum historias citabo, quum id mei instituti non sit, sed nudam solummodo facti historiam narrabo, probe sciens, diversas esse Autorum sententias, in extricandis morborum causis, et meas vires haud sufficere, tantas componere lites; Lubens igitur hoc me doctioribus relinquo.

## §. IV.

Omnis historia ex depositione judiciali patris hujus puellae, et ex meo Viso-Reperto (ut vocant) quod

quod ad summum tribunal justitiae Guelpherbytanium transmissum est, deprompta, ita ut de ejus veritate nullo modo dubitare liceat.

## §. V.

Nata est haecce puella 2. Febr. anni 1742, et quidem Salinario Rühdensi, quod pertinet ad patrimonium Generosi et Illustris Domini de Brabek. Pater Jo. Peter Kæther, coquendo sali ibi operam navans, nunc eodem munere apud Salzliebenhallenses fungens. Nomen impositum est Maria Anna Sophia Elisabeth. Pater Romano-Catholicorum, mater Evangelicorum dogmata fidei sequuntur, ambo adhuc in vivis, filiam suam etiam Romanae ecclesiae principiis imbuere. Tenella adhuc aetate variolas, et morbillos, trucem multoties myriadum infantum pestem, feliciter superavit. 1750. Ex relatione parentum paralyfi tiliarum et imi pedis utriusque, novem menses miserrime laborat, depulsa tandem, continuis coctione formicarum paratis balneis. Succedit nunc secunda valetudo, ad annum usque 1752, quo, tertia post Festum Scti Michaelis hebdomade, die jam vergente, quum mane adhuc operibus domesticis cum matre alacriter interfuisset, diro illo morbo corripitur, qui vitae miserrimae filum tandem abruptit,

## §. VI.

Eo quo praecedente §. dixi tempore, quaeritur lassitudinem membrorum insignem, quae illam a

A 2

labo-



laboribus fuetis desistere, et lectum perere cogit, cui etiam ad mortis articulum usque affixa fuit. Ab illo statim nunc momento, quo lecto se tradidit, appetitus ciborum cepit desinere. Invadit febris acuta continua, quae XIV. die desinit, superstite magna virium jactura. Diminutio appetitus cibi et potus, sensim sensimque augetur, parcissimo victu utens. Mense Februario loquelam amittit, nullo manifesto symptomate praegresso, quam etiam non nisi die ante ultimum halitum, recuperavit. Morbi sub initio medicamenta a parentibus, a medicis et empyricis, multo studio et sumptibus undique acquisita, lubens ingessit; quum autem haec nihil efficerent, invalescente morbo, omne medicamen abhorruit. Ventum etiam est ad varia superstitionosa remedia, quum vulgus et clerici Romanae ecclesiae, illam daemone obsessam et incantatam crederent. Anno elapso invadit febris tertiana intermittens, quae 6 hebdomades affligit, et dein sine ullo morbi levamine cessat.

### §. VII.

Secundo morbi anno parentes varie et multum exercuit. Per aliquod tempus nemo in hypocaufto, quo aegra decumbebat, cibum vel potum capere debebat, statim enim quum hoc fieret, manibus et aliis symbolis significabat, voce scilicet jam orbara, se id nullo modo pati posse; erat in his motibus spastici et convulsivi aliquid, significans se odorem ciborum haud ferre posse. Alio iterum tempore res se longe aliter habebat; mirifice enim cibo-

ciborum odore delectari videbatur, quae brevi antea, solo ciborum aspectu, in convulsivos motus rapiiebatur. Nunc enim desiderabat, quod vultu et gestibus significavit, ut quando parentes vel domestici, cibum caperent, vasa cibus hauriendis apta, pectori illius imponerent, eo fine, ut ciborum odor, nares ejus feriret, vires ergo, quas ciborum ingestione reficere haud potis erat, refocillabat saltem ciborum odore. Interdum quaedam ut poma, placentas, saccharo condita, et alias lautiores offas, magno desiderio ut sibi adferrentur, significabat; quae autem si parentes sumtibus et labore ea compararent, subito interdum, quasi furore concitato animo, ut rem sibi fastidiosissimam, abiecit. Alio iterum tempore, lactis aviditatem peculiarem habebat, ita ut quovis die quatuor mensuras et ultra consumeret, ea tamen lege, ut ejus oppido parum in ventriculum perveniat, sed quum illud capere vellet, miras capitis gesticulationes faciebat, antequam ori id ingerere liceret, ingestum autem, quasi obstaculum quoddam in oesophago haereret, atque is spasmus contraheretur, summa violentia iterum expuit. Dimidium annum continuabatur ingens hoc lactis desiderium, quod autem corpori nullo modo profuit, sed multo magis illud indies emaciabatur. Iterum alio tempore haud pati voluit, matrem aut sorores colo assidere, aut nendo vel alio muliebri opere, tempus terere, manibus et vultus motibus significans, sibi hanc rem valde displicere.

## §. VIII.

Ultimo anno tres, quatuor, immo octo et plures

A 3

dies



dies immobilis jacuit, quibus elapsis cochlear unum aut alterum, syrapi communis, vel alius gratoris, ut Ribesiorum, Rubi Idaci vel Cerasorum Spiritu frumenti remixti, assumpsit, sine ullo alio cibo vel potu, qualiscunque is demum fuerit. Hoc nunc assumpto, iterum alios quatuor, vel etiam plures dies transigit, hisque elapsis iterum cochlear unum aut alterum, syrapi, spiritu ardente impraegnati, capit. Corpusculum interea summe exhauriebatur, vivum repraesentans sceleton, cute ossibus tam arte cohaerente, ut musculi et carnes quasi deleti viderentur.

## §. IX.

Quod attinet secretiones et excretiones, alvum et urinam rarissime deposuit, ultimo inprimis anno, et menstruo spatio vix semel vel bis. Sudores pauci. Fluor mensium haud erupit.

## §. X.

Veniamus nunc ad ultimam vitae miserrimae scenam. Die Mercurii qui erat XXI. Aug. 1755. mane Parentes et sorores, maculas rubellas purpurae adinstar, in facie, pectore et dorso animadvertunt, estque aegra solito inquietior. Vesperi hora circiter sexta, omnibus obstupentibus et mirantibus, subito loqui cepit, quae duos annos et dimidium, ne verbulum quidem potuit proferre. Multum et prudenter satis loquitur. Adstantes omnes distinguit, singulos suo adpellat nomine, cibum potumque avidissime nunc appetit, parentes  
et

et circumstantes valde rogans, ut sibi ab omni cibi genere propinarent, antequam morte opprimeretur, qui altero die certe e vivorum numero illam auferret. Rumor quum percrebuisset, de restituta loquendi facultate, miserae hujus puellae, multi homines accurrunt, quisque fere munusculum affert, et porrigit aegrae, quae etiam oblatas sibi of-  
 fas, maxima cum aviditate intrudit, ventriculumque multum onerat. Celebrantur eodem die nuptiae civis cuiusdam, mittunt neo-sponsi placentas, condita et alia fercula, grati saporis, sed difficilis coctio-  
 nis. Omnia, quae offeruntur, ingurgitat, convi-ventibus laetis parentibus, qui jam de restituta filia sibi gratulantur. Insequente nocte cibum, tam avide et varie ingestum, vomitu rejecit. Mane se-  
 quentis diei, loquela adhuc integra, appetitus autem jam diminutus, maculae illae rubrae in vesiculas albas elatiores conversae, et copiosae valde, inprimis dorsum et pectus occupabant. Corpus calidum, pulsus celerrimus, inaequalis, convulsiones, tremores artuum, circa undecimam matutinam, lo-  
 quela iterum amissio, convulsiones invalescunt, et tandem circa duodecimam hujus diei horam, mors finem miseriarum imponit.

## §. XI.

Sectio legalis defunctae, jussu Serenissimi [nostri] Principis a me et chirurgo, cui nomen Clare, rite administrabatur, praesentibus Praeposito tunc temporis Salinarii hujus D. Sievers, D. Stellmann qui lignis in usum Salinarii cadendis praest, et aliis ejusdem ministris.

A 4

§. XII.



## §. XII.

Externe totum corpus summe emaciatum et exhaustum conspiciebatur, cute tam arcte ossibus superinducta, quasi nullus illis caro vel musculus interesset. Imus venter, qui durante morbo flaccidus et collapsus erat, nunc tumefactus et expansus, ut in hydropicis apparebat. Cranium serra dissectum valde crassum ratione aetatis puellae. Venae durae matris sanguine rubro atrescente turgidae; Dura meninge incisa, multum lymphae subalbidae effuebat, ventriculi cerebri praesertim quartus etiam hac lymphā repleti erant.

## §. XIII.

Aperto thorace cernebatur pericardium solito magis expansum, multum lymphae sub-rubellae continens. Pulmones sanguine maxime turgidi, qui per omnem superficiem extravasatus apparebat. Dexter pulmo pleurae a sterno usque ad spinam dorsii accretus erat, in superficie ejus haerebat atheroma, fabae magnitudine, quod dissectum calcariam materiem continebat. Pulmo sinister libere fluctuabat, pleurae nullibi connexus, erant autem in cavitate sinistra pectoris, cochlearia aliquot liquoris sub-rubelli. Cor flaccidum et quasi marcescens. Ventriculo dextro cum sua auricula et arteriae pulmonali, parum sanguinis inerat; cavitas autem hujus ventriculi erat polypo repleta, crassitie duarum linearum, longitudine unius et dimidii pollicis, ex duris et mire intricatis fibris tendineis compositus.

Ven-

Ventriculus sinister cum sua auricula et arcu aortae, sanguine turgido crasso, toti quasi repleti.

## §. XIV.

Imo ventre inciso, haud parva copia, et quae dimidiam mensuram fere aequabat, lymphae ferossae extillavit, ingrati odoris. Omentum tenue vix ad umbilici regionem descendebat, mucosae substantiae, quam membranae similior. Peritoneum lividum. Ventriculi membranæ tenues valde, continebant cochlear circiter, mucii ex atro fusci, et aliquid concreti caseosi, ab ultima crapula sine dubio superstitis. Intestina multo aëre rarefacto expansa, sine ilei in crassis faeces tenues. Appendix vermiformis caeci valde tenuis et collapsa. Hepar parte concava lividum, alias sano simile. Fel flaviusculum erat, crassum et pulti fere simile, copia parva. Reliqua abdominis viscera quod attinet, Pancreas scilicet, Lien, Mesenterium, glandulas mesaraicas, renes &c. in illis nihil praeternaturaleprehendimus.

## E P I C R I S I S.

## §. XV.

Monui quidem statim sub limine, me haud vellem diffundere in extricandis causis, mirabilis plane hujus morbi, hanc spartam lubenter relinquens Viris me doctioribus, et in praxi Clinica versatioribus, Pauca tantum subjungam, inediam tam diu

A §

super-



superfite vita toleratam, et vocis amissionem concernentia. Morbum hunc referri debere, ad illam morborum generem, quae affectis nervis suum debet originem, is facile perspiciet, qui attente hujus morbi historiam perlegerit. Paralysis illa tibiarum et imi pedis (§. V.) qua anno 1750 novem menses aegerrime laboravit, abunde testatur, in spasticos nervorum motus, corpus aegrae nostrae, jam dudum pronum fuisse. Evasis illam quidem feliciter, sed proclivitas in tales motus irregulares, et spasmodicos nervorum, superstes mansit. Nam dirus ille morbus, qui aegram tandem trucidavit, sine dubio paralyseos species erat, eo saltem discrimine, ut nunc nervi, qui visceribus praesunt, afficerentur, non illi, externorum artuum.

### §. XVI.

Primam labem, si conjecturae locus est, haud absque dubio acceperunt nervi octavi paris, sympathici medii a Winslowio dicti, una cum sympathicis magnis sive intercostalibus. Appetitus prostratio, vocis amissio, et omnia alia symptomata, ex horum nervorum labe et resolutione, meo quidem judicio, explicari possunt. Praesunt hi nervi omnibus fere abdominis et thoracis visceribus, connexioque illos intercedit, cum plurimis totius corporis nervis, hanc ob causam a Celeberrimo Winslowio jure, sympathici dicti. Veritati ergo proximum videtur, nervis his laesis et in functione impeditis, mirabiles plane in corpore motus oriri, quum sint motuum cordis, loquelae, digestionis,  
et

et secretionum nobilissimarum, vindices ac praesides.

§. XVII.

Initium hujus morbi erat febris quaedam continua acuta. (§. VII.) Crisis hujus febris sine dubio imperfecta fuit, non sudore et urinæ sedimentis, uti in crisi perfecta fieri solet, sese manifestans, sed metastasin materiæ morbosæ, quam eliminare haud potuit, ad nervos faciens. Metastasin nervosam vocant Autores, tales morborum mutationes, comitantem plerumque illas febres, quæ malignarum indoli, propius accedunt. Decubuit nunc hæc materia ad nervos octavi paris et intercostalis, impediitque fluidi nervei iter, ad laryngem, cor, ventriculum et omnia digestionis viscera. Appetitus hinc prostratio, et successu temporis, vocis amissio, sequebantur: Metastases enim has non semper subito et quasi impetu fieri, sed interdum notabili fatis temporis spatio interjecto, succedere, constat, medicinam facientium observationibus, hinc et in nostra aegra, vox non statim febre acuta finita, sed sequentis anni mense Februario demum supprimebatur. Docent experimenta, quæ circa nervorum ligaturam vivis in animalibus instituit Clarissimus J. H. a Brun, vid. Dissert. ejus inaugural. nervo octavo, in utroque latere firmiter ligato, vel scalpello discisso, semper famem et ciborum desideria, in animalibus periisse; v. ejus Diss. Gœttingæ 1753. impressam p. 37. et seqq. Idem etiam his experimentis, de voce constat, quæ  
sem-



semper his nervis ligatis, in animalibus periiit. Consentiant experimenta Willifii, (a) Morgagni, (b) Ens (c) et aliorum Virorum Clarorum, qui de industria hanc rem tractarunt, ipsamque naturam, vivis in animalibus, consuluerunt. Vocem enim unice deberi actioni nervorum recurrentium, qui sese laryngi et musculis, ad vocem producendam aptis, insinuant, et meis, proprie in hanc rem captis experimentis, evincitur, quæ sequens exponet Observatio.

### §. XVIII.

Objiciat quis, hæc, quæ jam de his experimentis, ad corroborandam sententiam, quod inedia et vocis amissio in hac puella metastasi nervosæ, ad nervos sympathicos medios, et inde ortæ paralyfi horum nervorum, præcipue tribuenda sit, minime hic locum invenire. Aliud enim esse, vulneribus, ligaturis et scissuris, liquidi nervei iter, ad loca destinata intercipere, aliud autem naturæ institutum, nervos metastasi quadam morbosa occupare, quo impedirentur suo recte fungi munere. Experientiam vero, optimum in his rebus judicem, si consulamus, illa docet, ab internis causis gravissimas oriri paralyfes, ob nervos læsos et resolutos, illis plane similes, quæ a ligatis nervis oriuntur. Hæc  
res

(a) Willifius de motu musculum.

(b) Ep. X. n. 37.

(c) Diff. inaugurali de causâ vices cordis alternas producente.

res tam manifesta et luculenta est, ut Autorum exemplis et citationibus haud indigeat. Videmus vel in nostra ægra, illam 1750. paralyfi imi pedis laborasse, cui autem adhibita balnea, coctione formicarum parata, medebatur. Causa hujus paralyseos, etiam in interna nervorum labe latebat, nulla externa causa cognita. Patet ergo vel hinc, dari causas internas, quæ eodem modo nervos affligere et resolvere possunt, ac si manus solertis naturæ scrutatoris, nervum ligarit ac disseuerit. Phænomena ergo hisce experimentis, quæ observantur, multum lucis accuratiori cognitioni nervosorum morborum, adfunduat.

### §. XIX.

Mea ergo sententia, omnis et præcipua hujus morbi causa, in paralyfi nervorum paris vagi et intercostalis sita est. Confirmat hanc sententiam ipse morbi exitus. Miremur hic mirabilem naturæ in morbis ordinem. Febris quædam, imperfecta crisi finita, mittit morbosam materiam, quam eliminare haud potest, ad nervos, et quidem primarios totius corporis, si functiones eorum consideres; tam arcte ac firmiter hæc materia nervis insidet, ut illi suis quibus præsumt visceribus, imperare, plane impediatur. Cor, ventriculus, hepar, intestina, vocis organa orbantur liquido nerveo, præcipuo suo alimento, elanguent omnia et emarcescunt, circulus sanguinis imminuitur, quum cordi spiritus vitales deficient; fames perit, nervi enim ventriculi insensibiles redditi, eam excitare haud valent, bilis

craf-



crassescit, (§. XV.) dum hepar, ob defectum liquoris nervi, segnius suo officio fungitur, sic pancreas, lien, intestina et reliqua. Vita ergo minima tantum superest. Polypum cordis (§. XIV.) durante morbo subnatum, credo, cordis enim motu imminuto et circulatione tardiori, facile sanguis coire, et polyposam talem substantiam, qualem in sectione descripsimus, gignere potuit. Quid fit, tertio anno miseri hujus morbi nondum elapso, incidit nova febris, acuta valde, purpuracea, purpura sese manifestante, redeunt ciborum desideria, vox restituitur, nervis sine dubio metastasi sua liberatis, et crisi hac imperfecta, purpura scilicet, ad cutem delata; omnes enim febres exanthematicas, crifium imperfectarum speciem esse, quis est, qui negat.

### §. XX.

Salutare sine dubio hoc naturæ molimen dicendum, quum feбри concitata, nervos et interiores partes, metastasi morbosa, ad illas factæ, liberaret; nullum etiam dubium, quin si hi motus febriles, initio morbi, viribus corporis adhuc constantibus, supervenissent, ægra dirum hunc morbum eluctata fuisset; sed jam viribus exhaustis, corpore diuturnamacie confecto, latice vitali per annos, nullo laudabili alimento refecto, et acriori reddito, haud tantum virium suppetebat, quæ febris vi superandæ, par essent. Illud ergo remedium, quo vocem et ciborum desiderium restitutum cernimus, nimia violentia sua simul vitæ filum abruptit. Forsitan feliciter hunc morbum evasisset, natura ipsa medicinam

cinam faciente, nisi statim ventriculum maxima ciborum copia onerasset.

## §. XXI.

Magnus numerus historiarum inediae, apud multos antiquos et recentiores Autores invenitur, quos recensere praesentis scopi non est. Apud Schurigium in Chylologia historico-medica, Bonetum in Sepulchreto anatomico, Caspar. Schottium in Physica curiosa, Paulum Lentulum in admiranda historia de prodigiosa Apolloniae Schreierae, virginis in agro Bernensi inedia, apud Christianum Joachim Lössau in der wahrhaften und ausführlichen Beschreibung eines besonders merkwürdigen casus inediae &c. et apud multos alios tales casus et observationes leguntur.

## OBSERVATIO II.

*Partus laboriosus.*

*Prolapsum brachium. Fœtus mortuus instrumētis solutus.*

## §. XXII.

**F**emina XVI ætatis annum nondum egressa, primipara, habitus corporis pleni et sacculenti, jam XXXII horas partus doloribus, quum accederem, infestabatur. Erat hora pomeridiana tertia, quum  
me



me in consilium vocarent. Pulsus erat durus plenissimus, dolores partus vehementes; Amnii liquor, jam heri, hora pomeridiana secunda profusus, brachium propendens, hoc die hora septima matutina protrusum, pulsu omni carens, aspectu nigrum, et cadaverosum jam odorem spirans. Genitalia externa maxime jam inflammata. Inquirens in situm fœtus, illum in ima apertura pelvis hærentem, et quasi in glomer convolutum deprehendo, capite dextro latere, pedibus in sinistro, collocatis. Humerus dextri lateris cum brachio propendente, hærebat in orificio uteri, et a vehementibus partus doloribus, arctissime stringebatur. Adhibeo aliquam operam fœtum in pedes vertendi, sed durissimus uterus, validissime circa fœtus corpusculum contractus, impedivit operatoris manum, tentantem solutionem; Attamen non statim ab hoc opere me depellere sivi, aliquoties repetii eodem labores, semper tamen irritos. Fœtum certe mortuum esse constabat mihi ex supra dictis, brachio scilicet nigro et mephitim jam spirante; Capio ergo consilium instrumentis solvendi fœtum, quum versio ejus impossibilis, et nimios matri crearet dolores. Quieti ergo matrem committo, exhibeo potionem anodynam et confortantem, et quum respiratio anxia et pulsus plenissimus esset, et mater valde plethorica, sanguinem ex brachio sinistro ad ℥vij detrahare jussi. Horæ spatio elapso, iterum ad labores redii. Brachium propendens in ipsa articulatione cultro excidi, dein forfice inter digitos conductores, penetrans in pectus, costas dissecui, animus enim erat costas diffractis et

exemptis,

eremis, vi  
sum div  
autem circ  
partus dol  
Mutato erg  
laderet m  
demuro in  
peritus ca  
atque dolores  
gna n atrah  
dem dolorib  
ti, solvitur e  
et mater libe  
sterice educ  
et interne  
haber.  
tis diei ecce  
mis dolentib  
eti et de me  
malaxo, erg  
quadrupl  
modo, del  
perveniant  
tunc grotu  
Nullum  
bita encl  
im emm  
corpore par

exemtis, viscera pectoris et abdominis eximere, dorsum dividere, et tunc extractionem tentare, nimis autem circa factum contractus uterus, et perpetui partus dolores, impediere omnem operationem. Mutato ergo consilio, uncinum, maxima cura ne læderet matrem, inter digitos sinistrae manus, demitto in pectus factus, injicio illum vertebriis superioribus cervicis, (caput attingere haud licebat) atque dolores expectans, qui satis vegeti erant, magna vi attraho, desistere cogor, iterum accedo, tandem doloribus vehementioribus, et tractione forti, solvitur caput, sequitur reliquum corpusculum, et mater liberatur. Placenta etiam statim ab obstetrice educitur. Applicatis genitalibus, fomentis, et interne exhibitis temperantibus, illa se optime habet. Lochia bene fluunt. Pomeridie sequentis diei accedit lactea febris, quæ mox cedit. Mammis dolentibus imposui emplastrum de spermate ceti et de meliloto cum oleo amygdalarum dulcium malaxato, atque huic superimpono lintea calefacta quadruplicata. Lac evanescit, absque ullo incommodo. Reliquum puerperii tempus sine ullo superveniente malo symptomate transegit, optima nunc gaudens valetudine,

## E P I C R I S I S.

## §. XXIII.

Nullum dubium, quin obstetrix, debita adhibita encheiresi, vitam factus servare potuisset, si statim amnii liquore effuso, præsertim quum infans corpore parvo esset, situm ejus debite explorasset,

B

at-



atque versionem in pedes tentasset. Apparet vel ex hoc exemplo, quantus infantum numerus, dum ex claustro materno exire, auramque vitalem haurire laborant, inscitia obstetricum pereunt. Nosocomium bene instructum, in quo mulieres obstetriciam artem qui addiscere et exercere cupiunt, præeunte magistro in hac arte perito, gravidis partus tempore, auxiliatrices manus præbent, certissimum et optimum remedium est, ad servandos multos reipublicæ cives. Ego accersitus, fætum jam enecatum esse supra commemorata signa, me docebant; attamen aliquam operam adhibui vertendi fætum in pedes, et ita extrahendi, eo saltem sine, ne cogerer sectione fætus in utero et extractione cum instrumentis, illum ergastulo suo liberare. Semper ego hanc operationem, in bene multis casibus utilissimam, et ad servandam matris vitam, persæpe absolute necessariam, haud prius adgredi soleo, nisi probe perspexi, omnem fætus solutionem, quæ manibus fieri solet, esse impossibilem. Omnes puerperæ instrumentorum adplicationem maxime reformidant, adstantibus terribilis et crudelis videtur, et ab operatore, semper multa cum cautione et labore perficitur. Hoc autem in casu, iteratis laboribus, versionem tentare, quæ non sine cruciatu matris, et genitalium irritatione fieri potest, puerperæ nostræ sine dubio perniciosum fuisset, et sinus muliebris inflammationem auxisset. Optimum ergo consilium erat, quum de morte fætus constaret, prædicta illum ratione, ad salvandam matris vitam, instrumentorum adplicatione educere.

OBSER-

## OBSERVATIO III.

*Caput prævium oblique situm.**Fœtus mortuus extractus.*

## §. XXIV.

**F**emina XX et aliquot annorum habitus corporis stricti, et duris laboribus adsueta, mane hora VII ad partum componitur et quidem prima vice. Sequenti die liquor Amnii profluit, sequuntur dolores vehementissimi, nil autem promovent. Tertio ab initio die hora una post meridiem, meam efflagitant operam. Accedens omnes partus dolores jam cessatos, labia pudendi maxime inflammata, et tumida, pulsus celerrimum tremulum, vultum torvum et rubicundum invenio. Situm infantis explorans, caput in ima apertura pelvis hærens, ita tamen, ut aurium una os pubis, altera os coccygis respiceret, et humeri parili modo, ossi pubis ut una, altera ossi coccygis insideret, deprehendo. Inflammatio genitalium jam tanta, ut manus vix calorem ferret. De vita infantis incertus, mater enim asseverabat, se ante aliquot horas motum ejus adhuc percepisse; Pulsus quidem fontanellæ erat nullus, nullus etiam ossium capitis strepitus, quem Autores, certum mortis infantis signum requirunt. Versio fœtus erat impossibilis, dum caput omnem pelvis ambitum repleret, et genitalia tumida et inflammata omnem manui introitum denegarent. Repellere caput, cogitabam, quod etiam



non licebat. Applico forcipem Anglicanum, primum unum brachium, quo, ut veste aliquo caput excutere conabar, hac enim ratione ea per sepe maximæ utilitatis fuit. Sed irritò, dein et alterum, jungo illa et fortiter traho, nihil autem efficiebam, desisto igitur et matrem quieti committo. Aperio nunc adstantibus instans matris periculum, quam et operatio, qua fœtus instrumentis educitur, vix servaret, ob maximam sanguinis et genitalium inflammationem; et inde metuendam gangrænâ. Urgebant autem operationem, ut mater saltem fœtu liberaretur, quam etiam non recusabam, probe memor illius, desperatos non esse deferendos. Dum me nunc operationi accingo, consilium ineunt, propinandi puerperæ sacram cœnam, ante operationis administrationem. Dixi quidem vel minimum temporis majus asserere periculum, et si quædam adhuc in operatione salutis spes, eam ne minutum quidem temporis differendam esse. Nihilò autem minus sacro-sanctus hic actus administratur, et antequam hæc omnia fiunt, hora cum dimidia elabuntur.

### §. XXV.

Accedens iterum omnia jam pejora invenio, feminam delirantem, et pulsam maxime irregularem, certissimo indicio inflammationis sanguinis universalis, et præsentis jam gangrænæ. Majori sic periculo, operationem inutilem fore iterum dixi adstantibus, atque me illam haud suscepturum, ne me occidisse dicerent, cui servandæ impar essem. Multis autem precibus a me postulant, ut liberarem  
saltem

saltem matrem fœtu, ne ergo quis imputet, me aliquid ad salutem matris necessarium omisisse, statim ad operationem accedo. Immitto perforatorium occultum vertici capitis, frango ossa, et cerebrum perforatorio concussum effluit. Digitos, foramini, perforatorio factò, immitto, et quædam crânii officula solvo, quod non sine digitorum laceratione factum est. Nunc compressum caput trahere, et ita corpus fœtus solvere laboro, sed frustra, injicio unicum occipiti, fortiter illum trahens, movetur paulisper, sed humeri pubi et ossi coccygis insidentes, impedimento erant, quo minus reliquum corpus sequeretur; Manum ergo in uterum demitto, solvo unum brachium, dein et alterum iterum attraho, et fœtus sequitur. Secundinæ etiam statim exsolvebantur, intensissimum autem calorem manus in utero detenta sentiebat, nec uterus se circa illam contrahebat; Pessimum et triste id mihi præsagium, uteri enim fibræ ab inflammatione rigidæ, contractionis jam impotes erant. Mater semi-hora elapsa moritur. Fœtus epidermis secedens docebat, jam ante multas horas illum animam efflasse.

## E P I C R I S I S.

## §. XXVI.

Est hic pessimus ille fœtus situs, quem obstetrices optimum judicant, quia caput offertur, quem autem partum natura, fortissimis licet partus doloribus, nisi ars opituletur, absolvere haud potest, van Hoorn et alii ejus mentionem injiciunt.

B 3

2. Necess-



2. Necessè est ad hujus partus cognitionem et ideam de situ fœtus sibi inde formandam, ut medicus obstetricius, aut obstetrix, futuras capitis, probe cognitās habeant, ex quarum decursu omnium optime, de situ infantis, an naturali an præternaturali judicare licet.

3. Digni a cranii ossibus læsi dolorifice suppurabant, certo indicio maximæ corruptionis partium genitalium ab inflammatione.

4. Mens varia sibi que non constans, pulsus celer, tremulus, inter pernicioſa signa pertinet.

5. Procul dubio et mater et fœtus citiori adhibita medela ſervari potuiſſet, tristi exemplo, multis nascendis civibus, immo et ipsis matribus, inſcitia obstetricum, rempublicam privari.

## OBSERVATIO IV.

### *Nates præviæ.*

*Fœtus prægrandis instrumentorum ope mortuus educitur, salva et incolumi matre.*

### §. XXVII.

**F**emina XXXVIII annorum quarta vice ad partum componitur, robusta et ſani corporis habitus. Dolores partus vegeti, rumpuntur velamenta, et liquor Amnii profluit. Hoc effuſo, obstetrix explorans ſitum fœtus, illum non capite ſed clunibus præviis, oriſcium uteri intrare, deprehendit; Ten-

Tentat, uti aiebat, statim versionem fœtus in pedes, quam autem haud efficere potest. Committit opus naturæ, expectat, dolores ingravescent, partum autem non promovent; Hora IX vespertina et ego in consilium vocor, exploro qualis sit fœtus situs, illum clunibus præviis et conduplicato corpore se offerentem invenio, ita tamen, ut dextrum femur altius hæreret, quam sinistrum. Testiculi inter clunes propendebant, femora crassitie insignis erant, ita ut digitis vix illos comprehendere liceret. Totum fœtus corpus dextrum in latus conversum erat, ita ut etiam hoc latere manus omnibus in uterum aditus præcluderetur, sinistrum latus aliquid spatii concedebat. Omnem nunc adhibeo curam, vertendi fœtum, situmque illius mutandi et pedibus extrahendi. Lecto suo quum spatium valde angustum esset, illam transversim impono, manum adipe anserino illitam, demitto in vaginam, repellere tento fœtum, sed ne loco quidem movere illum, potis eram, adigo ergo manum ulterius et quidem sinistro in latere, in uterum penetro, genu fœtus attingo, sed prehendere illud atque attrahere haud licebat, ob continuos partus dolores, qui manum premendo omni motu ac sensu privabant, pedes tam alte in regione dextra locati erant ut attingere illos plane impossibile esset. Sæpius eundem laborem repetii, perpetui autem partus dolores, et rigidissima uteri substantia, arcte circa fœtus corpusculum contracta, manum operatoris tam fortiter comprimebant, ut stupida et spasmo quasi contracta redderetur. Inter hæc varia versionis molimina, et necessaria quietis inter-



valla, bihorium fere elapsum est. Matrem nunc dolorum impatientem, lecto suo committo, potionem gratiorem anodynam et confortantem exhibeo, et quid nunc dolores efficerent, qui semper adhuc vegetiores reddebantur, attendo, quum experientia constet, multos hoc modo factus excludi. Obstetricem jubeo lecto puerperæ assidere, et quolibet dolorum impulsu, manu, abdominis dextram regionem leviter comprimere, quo factus hac ratione in axin uteri duceretur, dolorumque impulsus, eo fortius illum expelleret. Genitalibus quæ maxime jam inflammata continuis fomentis prospicio.

### §. XXVIII.

Dum hæc aguntur puerperæ respiratio anxia, pulsus celerrimus, vultus rubicundus, fitis intensissima, inflammationis incipientis signa indicabant, fœtu illam cito citius liberandam esse, dum, experientia teste, magnum ab inflammatione periculum matri imminere, prospiciebam; Nam ad ultimum ventum est, et inflammatio omnem sanguinis massam jam corrumpit, nec operatio vel dexterrima manu peracta, vitam matris servat, sed arbor cum fructu perit, uti præcedens nos docuit observatio. Dolores partus fœtum, vegetissimi licet, bihorio ne lineam quidem promovebant, nilque aliud illis efficiebatur, quam ut inflammatio augetur, atque uterus semper arctius circa fœtum corpusculum constringeretur. Eludebat enim fœtus, non in axi pelvis hærens, sed dextra in regione uteri collocatus, omnem dolorum impulsus. Periculo sic quo-

quorū tem  
hora pri  
cum, D. Dr  
nissimi nos  
nonnem d  
mina iteru  
operam ad  
maxime fa  
Experientia  
impossibile  
expleret,  
ut fœtus in  
gubulo mat  
eramus de  
mortuum e  
nullum e  
fœtus sit  
peresse, pl  
tur, et si qu  
dent, et mo  
ergo pericul  
minet, pr  
lecto suo ite  
Sydenhami  
kema,  
et qui null  
sedarentur  
per adhuc  
huc horum  
arrendens  
religante  
brachio ad

quovis temporis minuto majori, in consilium voco, hora prima hujus noctis felicem hujus urbis practicum, D. Dr. Brückmannum, Medicum Aulicum Serenissimi nostri Principis, ne me temere aliquid fecisse, non nemo diceret. Illo præsentate denuo omnem (femina iterum ut prius lecto suo transversim imposita) operam adhibeo vertendi factum, sed et hac vice, maxime fatigatus desistere cogor. Sententia nunc Experientissimi hujus Viri, quum etiam versionem impossibilem esse perspiceret, ipse quum situm fetus explorasset, omnibusque probe consideratis, erat, ut factus instrumentorum dextra adplicatione, ergastulo materno educeretur. Dubii quidem adhuc eramus de vita infantis, probabile erat, illum jam mortuum esse, dum mater per aliquot jam horas, nullum amplius motum perceperat; Talis etiam fetus situs, qualis nostri, haud finit illos longe superesse, plerique diuturno partus labore moriuntur, et si qui vivi nascuntur, debili valetudine gaudent, et mox a partu moriuntur. Præsentaneum ergo periculum, quod matri ab inflammatione imminebat, præcipiebat operationem. Matrem nunc lecto suo iterum imponimus, Laudanum liquidum Sydenhami ad ʒj. tribus vel quatuor vicibus præbimus, eo saltem fine, ut dolores fortissimi adhuc, et qui nullum levamen afferebant, quodammodo sedarentur. Bihorio iterum elapso, dolores semper adhuc vegeti. Hæcce perpendens, aliam adhuc horam exspecto, quid natura tandem efficeret attendens. Interea ne pulmones et caput nimis a restagnante sanguine opplerentur, sanguinem e brachio ad ʒviij detrahare jussi.



## §. XXIX.

Hora nunc matutina sexta, iterum in situm factus inquirō, nullam autem situs mutationem invenio. Inflammatio multum jam aucta erat, atque omnis nunc aditus ad uterum præclusus. Manus explorans, putri odore, specifico illo ab embryonis morte, (secundum Excellentiss. Rædererum, Virum hac in arte longe peritissimum, in Observat. de partu laborioso, p. 8.) scædabatur. Statim nunc ad operationem accedo, demitto sinistram adipe anserino illitam, in vaginam, interque hujus digitos conductores, uncinum injicio ossibus pubis, quum aliam partem corporis attingere haud liceret, fortiter traho, excidit uncus, quem autem semper sinistra manus comitabatur, ne matrem ullo modo læderet, repeto eundem laborem aliquoties, factu autem, loco suo immobili persistente, maxime fatigatus desistere cogor. Exhibeo puerperæ potiunculam temperantem et confortantem, viribusque paulisper resectis, iterum ad arma redeo. Ossium pubis symphyssi disrupta, infigo uncum ossi ilium dextro, maxima semper cautione, ne ullo modo matri inde periculum eveniret, sed et hac vice factus, ab utero arctissime restrictus, omnem meam operam eludebat. Tandem autem quarta vel quinta vice tam felicem esse contigit, ut pes dexter elaboretur, hunc statim obstetrici, sicco linteo tenendum præbeo, et sinistrum manu mea exsolvo. Attrahens nunc pedes motitando, et reliquum corpus sequitur. Obstetrici quæ auxiliatrices manus præbere volebar, alacriter

eriter et ot  
truncum  
nisi illam et  
vaginam de  
Fetum im  
centa cum  
suo impone  
bat. Fetus  
rudis hujus  
præferans,  
ab aliis jam  
alvotis suis  
manilla pcor

Mater  
supervenit  
illam coajct  
sua pharm  
malibus qu  
fomena ex  
Ciamonilla  
me habent  
rillam co  
maximo me  
dextro in m  
lem exercu  
bunt. Ter  
et domestic  
rumorem,  
sinistri vici

riter et omnibus viribus factum trahens, certe truncum a capite separasset, cute cervicis jam rupta, nisi illam cohibuissem, atqui manu infra caput in vaginam demissa, leni tractione et hoc exsolvissem. Fœtum integrum exclusum, mox sequebatur, placenta cum velamentis, et mater debilissima lecto suo imponebatur. Sanguis ex utero rite profluebat. Fœtus epidermis secedebat. Insignis magnitudinis hujus fœtus erat annum fere infantem representans. Illud etiam memoratu dignum, licet ab aliis jam sæpius notatum, quod plures jam ex alveolis suis dentes, in superiori æque ac inferiori maxilla prorupti, observarentur.

## §. XXX.

Mater debilissima priores dies pessime se habet, supervenit tertia die diarrhœa, vitæ in periculum illam conjiciens, quæ autem justo vitæ regimine et apta pharmacorum suppellectile, sedabatur. Genitalibus quæ maxime inflammata, prospiciebant fomenta ex Vino cui herbæ Meliss. Matricariæ et Chamomillæ additæ erant, parata. Lochia optime fluebant, et sanguini fluenti multum puris fœtidissimi odoris, permistum erat, quod secedens, maximo matri levamini erat, vehementes enim, dextro in latere abdominis, dolores, valde quæ illam excruciaverant, secessu puris, sensim evanescebant. Tertia hebdomade finita, iterum ambular, et domesticis suis negotiis interest, queritur autem tumorem, sedenti præprimis molestum, regione sinistri ischi. Hocce mihi aperiens, recorder illi  
statim



statim a partu, tumorem, in regione ossis sacri subnatum fuisse, qui multos tunc temporis illi dolores creabat, prospiciebatur huic fomentis ordinariis ex Vino, primis diebus, quæ autem doloribus cessantibus, negligebantur. Probabile erat, huncce tumorem circa ischia jam se manifestantem, sobolem prioris esse, humores enim, initio, haud resoluti et dissipati, erecto corporis situ et femina obambulante descensum fecerant ad inferiora. Adhibentur statim fortissima resolventia, quum abscessum quem prædixi, metuebat, emplastrum scil. de Cicuta cum Ammoniaco, vapores herbarum resolventium et salis Ammoniaci aceto coctarum, quibus quater de die locus affectus fella perforatoria, fovebatur, unguenta resolventia etc. animadvertens nunc hæc nihil proficere, emollientia adplicantur, rumpitur abscessus et quæ purificant et consolidant adhibitis, sanescit, et integræ valetudini, restituitur, ægra.

## E P I C R I S I S.

### §. XXXI.

1. Hæcce partus species, dum fœtus clunibus præviis se offert, sæpe solius naturæ ope perficitur, illo uteri et pelvis axi insistente, hanc autem quum deferit, uti in nostro casu, inter laboriosissimos perinet; quem raro natura, sæpissime ars, absolvit. Sæpenumero versione fœtus tali situ collocati, extrahuntur, uti multæ Autorum observationes, et experientia, docent, quam autem versionem multa  
hie

hic præpediebant, fortissimi enim partus dolores, genitalia maxime jam inflammata, prægrandis fœtus, et pedes nimis alte in dextro uteri latere hærentes, illam reddebant impossibilem. Linum pedibus injicere, atqui hoc modo illos attrahere, sæpius repetii, sed et hoc modo exoptatam metam attingere, haud licebat.

2. Venæsectionis in brachio præclarus usus, durante partu laborioso, multis sese mihi exemplis comprobavit. Fœtus enim exitum moliens, et diu in transitu hærens, comprimit vasa iliaca, oritur inde restagnatio sanguinis, pectus versus et caput, inde anxia respiratio, inquietudo summa, rubores faciei, et tandem partu se nimis protrahente, et ut ab imperitis interdum fieri solet, ad facilitandum partum, pellentibus et spirituosis ingestis, vasa pulmonis nimio sanguine distenta, rumpuntur, et mater hæmoptysi moritur, fœtu adhuc ergastulo materno incluso. Tristem hujus rei observationem ante aliquot annos habui, quam sequens fasciculus exponet.

3. Illa Regula festina lente, uti in omnibus operationibus chirurgicis ita præsertim in arte obstetricia, maximi et præclari usus est. Injungebat illam, omni occasione, Vir in hac arte Callidissimus, Ill. Rædererus, Gœttingensium decus, cujus fideli manuductioni, et in theoretica et practica hujus scientiæ parte, omnia quæ in illa profeci, unice debere, publice profiteor. Vel hæc observatio docet, magnæ utilitatis hanc regulam esse, obstetricis enim nimia festinatio, quo factum uno impetu sinu matris excutere conabatur, certe trun-

cua



cum a capite nimis forti tractione, separasset, nisi illam cohibuissem, et manu in vaginam demissa caput exsolvissem. Tædiosum certe symptoma, et quod multum negotii operatori faceffit, præsertim uti in nostro casu capite prægrandi, cui autem lænta festinatione cavebatur.

## OBSERVATIO V.

*Casus ex alto Viri quinquagenarii.*

*Sanguis fluit ex ore, naso et auribus, ima pars scapulae fracta, etc. saluus evadit.*

## §. XXXII.

**I**nitio Augusti 1756. multo mane nuncius ex pago vicino venit, et ut rustico graviter ex alto qui lapsus erat, succurrerem, rogat. Adveniens, illum lecto impositum summe debilitatum invenio. Sanguine qui ex aure utraque, naso et ore fluxerat, multum conspurcatus erat, vox plane intercepta, oculi torvi. In capite multæ cermebantur sugillationes, brachium sinistrum haud levare poterat, inquirens in caussam, imam partem scapulae fractam deprehendo. Totum brachium præsertim cubiti regio et metacarpi multis locis vexatæ erant. Manus motibus significabat, circa petus plurimos illum dolores pati. Statim a chirurgo præsentate sanguinem e dextro brachio ad ℥viii. detra-

detrahere jussi. Scapulæ fractæ, ferulæ ex charta  
 glutinata et fasciam idoneam adplicuimus. Sugil-  
 lationibus capitis et brachii fomenta superimpon-  
 ebantur, ex Vino cui serpyllum, majorana et salvia  
 incocta erant. Interne exhibui mixturam temperan-  
 tem et leniter diaphoreticam. Pectus dolens spi-  
 ritu Vini camphorato & Rorismarini qui ad ma-  
 nus erant, probe fricabatur, addebam sacculos ca-  
 lidos ex herbis resolventibus paratos. Potui ex-  
 hibeo Decoctum Theiforme ex Millefolii summi-  
 tatibus et Arnica herba, æqualibus partibus para-  
 tum. Vesperi rediens loquelam restitutam, val-  
 de autem debilem, deprehendo. Præscribo emul-  
 sionem amygdalinam Nitro temperatam, et enema  
 emolliens injiciendum curo. Fomenta ex Vino  
 calido continuantur. Multum queritur dolores  
 capitis; fuit etiam adhuc sanguinis guttula, ex au-  
 re dextra. Secundo die calor febrilis accedit, quem  
 frigus præcedente nocte prægressum fuerat. Ex-  
 hibeo temperantia acido et gratiore Syrupo remi-  
 sta, quibus Mram. Simpl. n. rectific. addidi. Cere-  
 visiam, potus spirituosos et juscula carniū pro-  
 hibeo, potus ordinarii loco decoctum avenaceum  
 acido citri temperatum concedo. Quarto die calor  
 et pectoris anxietates dum auferentur, iterum san-  
 guinem e brachio ad ℥viij. maxima utilitate detrahere  
 jubeo. Alvum tardiozem TRA. aquosa Rhab. ad ℥iſs.  
 exhibita blande ciebat. Capitis dolores et perpetuæ  
 quasi vigiliæ maxime affligebant nostrum ægrum, su-  
 perueniente, noctu interdum spasmo pectoris, qui il-  
 lum momento quasi jugulare, videbatur. Remittebat  
 hic spasmus semper, quinquaginta guttis Mra. ſ. c.  
 Syr.



Syr. Papav. rh. remixtæ, et Thea supra dicta, exhibitis. Capiti imponebam cucupham ex herbis cephalicis pauxillo adjecto croco paratam. Auri dextræ quæ maxime dolebat guttulæ duæ vel tres omni mane instillabantur olei amygdal. dulc. et olei caryophyllorum. Menstruo spatio elapso obambulare per hypocaustum incipit, tandem et aliis XIV diebus effluxis, rusticis suetis operibus jam rursus interesse cepit, nullo superstite incommodo, quam ut variis tempestatum mutationibus, obtusos quosdam capitis dolores sentiat, atque dextræ præcipue auris auditus aliqua difficultas supersit.

## E P I C R I S I S.

### §. XXXIII.

Multorum imo et periculosissimorum symptomatum, syrma et confluxus erat in nostro ægro, arteriæ scil. et venæ aurium, nasi et faucium disruptæ, unde sanguinis ex his partibus fluxus, capitis graves læsiones et percussiones, scapula fracta, et multæ aliæ partes corporis, læsæ et vexatæ, accedebat ætas ægri jam provectior, quæ tales læsiones pluribus semper obnoxias periculis reddit, quam ipso juventutis flore, si contingant. Accuratum rerum non naturalium regimen, venæsectiones et temperantia omne hujus curationis ferebant punctum; quum e contra Vinum, spiritus frumenti et æstuosa medicamina certe bonum hunc rusticum, pessumdedissent.

OBSER-

## OBSERVATIO VI.

*Vir quadragenarius,**Cujus cervicem ramus quercinus tetigerat,  
moritur altero mane.*

## §. XXXIV.

**V**ir quadraginta annos natus, cum alio vicino sylvam abit, ut lignum cæderent; in illam quum venissent, socius quercum conscendit, et securi ramum cædit quercinum, qui subito delapsus alterum sub arbore stantem, nec celeriter satis fuga sibi consulentem arripit et cervicem ejus tangit. Ille, qui in arbore erat, hæcce videns statim descendit, devolvit ramum, in pedes erigere socium laborat, sed frustra; impos enim erat, pedibus insistere, atque domum revertere; alter ergo vicum accurrit, currum affert, cui imponitur æger, et ita domum fertur; Ex curru in lectum translatus, statim ad me veniunt, et ut succurrerem graviter decumbenti, multis precibus contendunt. Advolo, illum exanimem fere lecto suo impositum invenio, submissa voce verba facientem. Chirurgus præsens vestimenta exuebat, et qua corporis parte læsionem acceperit, investigabat, nullam sugillationem vel locum vexatum vidimus. Caput si inclinabatur, magnos in cervice dolores querebatur, in quo autem nulla sugillatio vel læsio externa conspiciabatur. Pulsus vix sentiendus, totum corpus frigidum, hyberno enim tempore hora præterlapsa erat,

C

ante-



antequam curru domum transveheretur. Cervix et collum, nec non omnis spina dorſi, ſpiritu lumbricorum terreſtrium et camphorato probe fricabantur, addebantur ſacculi ex herbis reſolventibus et cephal. paratæ. Tunc venam brachii ſiniſtri incidimus, ſanguis tarde fluit, et multa opera vix  $\text{Ziv}$  extrahuntur. Brachia et pedes pannis laneis aſperis et calefactis fricanda jubeo, ut calor extremis et diaphoreſis reſtitueretur. Interne exhibeo *Tram* ſuccini ſpiritu Vitrioli paratam, et *Mram S. ana*, ad grts. xl. quovis bihorio continuandam. Sub veſperi illum quum adirem, corpori ſuus naturalis calor haud reſtitutus erat, pedes cum toto femore nullo modo movere poterat, et ſi ab alio movebantur, id plane non ſentiebat; Manus ingruente veſperi adhuc movebat, Chirurgus autem reſerebat, multo veſperi, ſenſum brachii et manum etiam periiffe. Loquebatur hoc veſperi multum et prudenter. Noctem inquietus tranſigit, mane pectus oppletur, et hora octava matutina, jam de morte infortunati hujus viri nuntium accipio.

## EPICRISIS.

### §. XXXV.

Hoc in caſu præcipuam mortis tam ſubitanæ cauſſam, nervorum compreſſioni et reſolutioni tribuendam eſſe, plane perſuaſus ſum; quum inſenſibilitas, primum pedis et femoris utriuſque, dein et extremitatum ſuperiorum, clare docet, nervos, ſen-

sensationis omnis, organa, affectos fuisse. Altero  
 mane supervenientem pectoris oppletionem, inde-  
 que subortam mortem, nervorum intercostalium  
 et Paris vagi resolutioni, sensim obrepenti, tribuo.  
 Id mirum est, quum se nullo alio corporis loco,  
 quam in cervice, a ramo ruente ex alto, tactum  
 esse, æger pronunciaret, quod insensibilitas femo-  
 ris et pedis, prius observata sit, quam illa extremi-  
 tatum superiorum, licet ex Anatomicis constet, ner-  
 vos brachii, ex cervicali medulla suum originem  
 trahere. Verosimile ergo videtur, ægrum etiam,  
 circa ossis sacri regionem, graviolem aliquam per-  
 cussionem perpessum fuisse, illo ipso incio, stupi-  
 do jam et oblivioso, ex prima et gravi cervicis læ-  
 sione, et hinc illam insensibilitatem extremitatum  
 inferiorum prius observatam, derivandam esse. Di-  
 scimus vel ex hoc exemplo, gravissimum periculum,  
 quod nervos, præcipue primarios, corporis læsos,  
 insequitur, haud depellendum, vel generosissima  
 adhibita medendi methodo. Habent hæ læsiones  
 affinitatis aliquid cum febris malignis, quæ se-  
 cundum Galeni definitionem, specie leves, re au-  
 tem graves sunt, ita et hæ nervorum læsiones. Nul-  
 lum in corpore ægri externe conspiciendum vul-  
 nus, nulla oculis usurpanda gravior læsio, quæ ju-  
 stum de vita ægri timorem injicere posset, specie  
 ergo levis, re autem gravissima erat ægri nostri  
 conditio. Vel maximus talium observationum  
 usus est, Practicos in Prøgnosi morborum, cautos  
 reddere.

## §. XXXVI.

Si quis subitaneam hanc mortem, frigori et aëri  
 injuriis



injuriis quibus æger expositus, ut, et terrori, et inde exortæ sanguinis restagnationi, pectus versus et caput, adscribere velit, ego quidem non multum contendam, credo potius, harum rerum etiam suas partes fuisse, in acceleranda morte, præsertim infelici connubio junctæ quum essent, nervorum compressioni et inde ortæ resolutioni.

## OBSERVATIO VII.

*Vocis amissio,*

*a ligatura et discissione nervorum recurrentium  
in cane.*

## §. XXXVII.

**G**ettingæ quum versarer, ut verioris medicinæ principiis animum imbuerem, inter alios Clarissimos celeberrimæ hujus Musarum sedis Doctores et Professores, quorum fidelibus institutionibus, studia mea, multum adjuta et perpolitata esse, publice profiteor, illa etiam felicitate frui licuit, esse inter discipulos Illustr. ab Haller, solertis illius naturæ humanæ scrutatoris, sua quem merita et inventa quibus scientiam anatomicam, physiologicam et botanicam egregie auxit, supra omnes constituerunt laudes. Vir hic Illustris autor mihi erat, ut experimenta instituerem, circa ligaturam nervorum recurrentium, et quis inde effectus in animalibus iriretur, probe attenderem. Quis nunc horum  
expe-

experimentorum exitus fuerit, et quæ inde didici, strictim jam exponam.

### §. XXXVIII.

Canem asseri alligavimus, ut quietius pericula veritatis eruendæ ergo, in corpore ejus instituenda, ferret. Dextro in latere asperæ arteriæ, longo tractu cutem, pilis antea derasis, incidi, musculus semotis statim nervus recurrens dexter conspectui offerebatur, vulnere ampliori reddito sinistri lateris nervus etiam prodibat, forcipe parva (*Pincette*) elevabantur nervi, et acu curva subtus trajecta, lino cerato duplici arctissime ligabantur. Vulnus suebatur, futura sic dicta nodosa, adplicabantur lintea quadruplicata, spiritu frumenti madida, et fascia apta superdabatur. Vinculis solutis varie irritatus, laceffitus, et verberibus exceptus, nullum latratum vel clamorem producere valebat. Domum illum portandum curavi, et tres adhuc septimanas alui, ut quis sit sequentibus diebus, effectus, eo accuratius investigarem. Altero mane, lecto quum surgerem, fascia, quæ vulnus continebat, soluta erat, et quum animadverterem, illum lambendo, vulnere suo, prospicere, nullam amplius vulneris curam habui, quod octiduo nondum elapso, perfecte sanatum erat. Omni hoc tempore non latravit; Jucundum spectaculum erat, si quis inopinato fortiter januam pulsaret, tunc enim alacriter accurrebat, et variis capitis gesticulationibus indicabat, se velle latrare, quod autem efficere haud potis erat, nil enim poterat proferre, quam debilem



lem ejulatum. Tertia hebdomade elapsa, vulnere optime sanato, et de veritate experimenti certus, aliis illum immolavi periculis, quæ etiam illum trucidabant.

### §. XXXIX.

Alio tempore idem experimentum in alio cane repetii, eo autem cum discrimine, ut nervos recurrentes, quos in priori cane ligatura constrinxeram, nunc scalpello plane discinderem. Eundem observare licebat effectum ac in priori, statim enim ac nervi discissi, et fluidi nervei iter, ad vocis organa interruptum erat, omnis vox periit, vulnus enim quum fueretur, nullum edebat canis clamorem et latratum, qui tamen, quum cutis secaretur, antequam nervi dissecti erant, maximos ediderat clamores. Hunc octiduum saltem servavi, omni autem hoc tempore, mutus jacuit, vel maxime lacescitus et ad latrandum irritatus. Docent ergo hæc experimenta, vocem fere unice horum nervorum actioni tribuendam esse.

## E P I C R I S I S.

### §. XL.

Hæc experimenta stabiliunt veterum et recentiorum sententiam, qua asseruerunt, vocem potissimum nervorum recurrentium officio, qui vocis organa

gana adeunt, (*d*) tribuendam esse. Nova non sunt hæc pericula, quæ cum his nervis institui, a multis jam tentata, attamen non omnibus tam perspecta, ut de veritate eorum nullo modo dubitent. Meum ergo esse putavi, ad amplianda veritatis pomeria, et a me, in hanc rem, capta experimenta, publici juris facere, major enim semper experimentis fides accedit, sæpius si repetuntur, et quidem diverso tempore, et a diversis personis, uno et constante semper eventu observato. Confectaria etiam physiologica, his ex periculis quæ deducuntur, firmo talo stabunt, si illa sæpius repetita et accurate instituta sunt.

## §. XLI.

Vt paucos saltem nominem, qui horum nervorum usum experimentis illustrarunt, inter veteres imprimis dicendus est Galenus, (*e*) qui libro VIII. de Anatomicis Administrationibus, (*f*) et de locis

C 4

„affectis

(*d*) v. Winslow. Expof. Anat. T. III. p. 163. seqq. qui horum nervorum distributionem accurate descripsit.

(*e*) Illa Operum Cl. Galeni Editione usus sum, quæ Basileæ 1549. Folio prodit.

(*f*) v. T. I. p. 373. „ad confectiones, inquit, Galenus noster, in quibus et vox quædam offenditur, „aptissimum animal, est sus, amplissima voce præditum. Hoc merito, præceptores nostri ignorarunt, ut qui relatam anatomen nunquam fuerint „expertis. „ Ultimam hoc nimis arroganter, a Galeno, pro more suo, dictum, quum vel propriis ejus scriptis constet, Hippocratem, Democritum,

Hero-



affectis libro IV. multum et eleganter hac de re disputavit. Primum loquitur de vocis abolitione, quæ fit, musculis intercostalibus et pleura dissectis, nam Libro VIII. p. 373. de Anatom. Administr. inquit, „incisa linea notabili, per membranam costas succingentem, in quocunque intercostali, anima semispirans protinus et semivocale redditur; sin autem in altera thoracis parte, æque secta fuerit, „spiratio et vox aboletur.„ Dein pergit, ad experimenta, in nervis instituta, quibus evincit, illis dissectis vel ligatis, etiam vocem et respirationem perire, integris licet musculis intercostalibus, et pleura. Descripto modo, quo procedendum est in his experimentis, ita pergit; „At cum ostendis, factius est linum, nervis omnia subjectum, sine vinculo præparare, clamat enim sic percussum: „deinde subito obmutescens, ob nervos lino constrictos, spectatores reddit attonitos; nam miraculum esse videtur, nervis exiguis, in dorso laqueo interceptis, vocem perire. Et porro; Si igitur non amplius eos solvere visum est, quomocunque libeat, ista constringito, at ubi voles confestim solvere, et animal rursus vocale reddi, ostendere, (sic enim magis spectatores mirantur) „ansas per laqueos injicito, et mediocriter stringito.„ In libro IV. de Locis affectis, v. T. IV. p. 100. differens, de variis causis et affectibus, quibus vox vel imminuitur vel plane aboletur, nervorum recur-

Herophilum, Eudemum, Erasistratum et alios, jam longe ante illius tempora, anatomem comparatam vel relatam exercuisse.

currentium  
que vo  
et muscul  
qui habet  
ita ex vo  
cent. E  
dum in n  
cum pla  
Porro per  
asper, voc  
sem tempo  
que ex ope  
notem equ  
fuisse, me  
stant ulu  
evolve  
ultimo ho  
Petrus, (l  
et alii ead  
instruere.  
nervos inter  
xerunt, bur

(1) v. N  
(2) v. N  
tr  
7 Sp  
(3) hoc r  
(4) hoc c  
(5) Differ  
nervo  
(6) v. N  
(7) Tract

currentium læsionem, inter præcipua mala habet, quæ vocem offendunt. Ita enim differit: „Vt  
 „ex musculis summum guttur moventibus præci-  
 „pui habentur ii, qui ipsum et aperiunt et claudunt,  
 „ita ex vocalibus nervis ii, quos recurrentes vo-  
 „cant. Et paullo inferius: „Accidit vero, inter-  
 „dum in magnis asperæ arteriæ vulneribus, ut una,  
 „cum ipsa arteria, vel alter, vel uterque incidatur;  
 „Porro per chirurgiam, quoque infrigidati, tan-  
 „tisper, vocem impediunt, donec calefacti, natura-  
 „lem temperiem recuperaverint.„ Sufficiant hæc,  
 quæ ex operibus Galeni, lectu dignissimis, in ho-  
 norem ejus allegavi, quibus constat, illi jam notum  
 fuisse, magnum, quem hi nervi vocis organis, præ-  
 stant usum. Haud pœnitebit, si quis ipse illum  
 evolvat, multa enim egregia in hanc rem, a saga-  
 cissimo hoc Viro dicta, inveniet. Willisus, (g)  
 Petitus, (h) Morgagnus, (i) Ens, (k) Brunn, (l)  
 et alii eadem experimenta, simili semper eventu,  
 instituere. Vieussenius (m) et Lowerus (n) etiam  
 nervos intercostales et paris vagi ligaturis constrin-  
 xerunt, hunc autem effectum, vocis scilicet aboli-  
 tionem,

C 5

(g) v. Nervor. descript. cap. 24. p. 86.

(h) v. Abhandlungen, Anat. Chymische und Botanische  
 der kœnigl. Academie der Wissenschaften in Paris.  
 7. Theil. p. 9. seqq.

(i) loc. cit.

(k) loc. cit.

(l) Dissert. Inaug. sistens experimenta, circa ligaturas  
 nervorum in animalibus.

(m) v. Neurol. l. 3. cap. 4. p. 179.

(n) Tract. de corde cap. 2. p. 90.



tionem, haud notarunt, alia autem sueta sympto-  
mata, ut palpitationem et angustias cordis, pectus  
suspiriosum et ultimo mortem, narrant. Nihil au-  
tem hoc silentium derogat veritati nostri experi-  
menti, nam Lowerus nervos octavi paris, eum tan-  
tum in finem ligavit, ut quænam ab illorum liga-  
tura, in cordis motu, oriretur mutatio, cognosce-  
ret, missis aliis hanc constrictionem sequentibus  
phænomenis. Ita et Vieussenius. Illustr. ab Hal-  
ler (o) de nervo recurrente, inquit, illum cele-  
brem reddidisse experimentum, quo constat, hoc  
nervo ligato, vocem tolli. Celeberrimus L. Hei-  
ster, (p) memoratu dignum casum suis in Observ.  
narrat, nostræ sententiæ de imperio nervi recur-  
rentis in vocis organa, multum, qui lucis adfundit.  
Propriis Illustr. Autoris verbis utar: „Ein Han-  
„noverischer Officier von Bedenbostel bekommt einen  
„Schuß vorn in den Hals, von der Seite her, so daß  
„die Kugel ihm ein Stückgen vorne von der Luftröhre  
„weggenommen, daß man hinein sehen können,  
„und ihm die Luft dadurch aus und eingegangen, da  
„er denn hierauf sogleich seine helle Stimme oder  
„Sprache verlohren habe. Nachdem ihm nun die  
„Wunde wieder zugeheilet, so hat er doch mit aller  
„Macht und Kräften nicht lauter sprechen können,  
„als wenn man einem was sachte ins Ohr sagen will,  
„das andre nicht hören sollen, er hat auch deswegen  
„den

(o) v. Prim. lineas physiol. p. 151.

(p) v. Medicinische, Chirurgische und Anatomische  
Wahrnehmungen. p. 147. et 148.

den Abschied vom Regimente genommen, und hat sich die laute Stimme niemahls wieder eingefunden. Addit Illustris hic Vir: „Ob dieser Verlust der lauten Stimme von Verletzung derer nervorum recurrentium, welche in den Laryngem sich endigen, und der Sprache und Stimme vornemlich dienen sollen, oder ob es von sonst was anders hergekommen, ist, schwehr zu behaupten.„ Ego quidem vi experimentorum, a multis et Clarissimis Viris hanc in rem captorum, et levidensibus meis, quæ ipse institui, periculis, plane persuasus sum, hancce vocis, in hoc militum Præfecto, imminutionem, vulneratis et læsis nervis recurrentibus, non autem plane destructis, jure tribui; Alia enim caussa sufficiens, hoc in exemplo, haud cognita est, nam vulnera laryngis, absque nervorum recurrentium læsione, posse sanari, sine vocis offensione, Laryngotomia, rectius Tracheotomia, luculenter docet. Quum nunc tanto Viro dubius adhuc animus hærebat, an nervis recurrentibus læsis, vel alii potius causæ, hæcce vocis offensio tribuenda sit, non inutile fore judicavi, si, quid meis experimentis hac de re constaret, Tecum, Lector Benevole, communicarem.

## OBSERVATIO VIII.

*De Rabie contagiosa, s.*

*Morsu canis rabidi feliciter curato.*

## §. XLII.

**F**emina XL. et aliquot annos nata, me adit, et se

a



a cane rabido commorsam in pede, queritur, heri illud factum esse, et maximos in loco vulnerato illam dolores pati, addebat. Adspiciens vulnus, illud vel pollicem supra malleolum internum sinistri pedis, invenio, cui brassicæ folia imposita erant. Certior nunc redditus, canem vere rabidum illam morfu læsisse, animo paulisper dubius hæsi, quid ex tanta remediorum sylva, morbo tam atroci, opponerem. Statim subit mercurialium usus, a Celeberrimis Viris, Sauvages, (q) James, (r) et aliis tantopere laudatus; Memini etiam Ill. Brendelium, Virum longiori vita dignissimum, quem Præceptorem fidelem nominare, nunquam dediscam, in suis, quas in universam Praxin Medicam habebat, Prælectionibus solidissimis, mercurialibus in morfu canis rabidi, immo et ipsi salivationi, si jam ad hydrophobiæ stadium res pervenerit, maximas vires tribuisse. His probe consideratis, et in hoc contagio Mercurii, medicamento maxime penetrabilis, et contra venereum contagium specifici, vires, propria experientia experiri, animo constituebam. Vulnus eluebam sale et aceto, lanceola scarificabam et vulnus ipsum et circumferentiam ejus, linteam quadruplicatum, spiritus vini camphorati et aquæ calcis æqualibus partibus, madidum imponebam, et fasciam circumdabam. Totum crus ad femur usque inungebatur unguento mercuriali, ex Mercurii vivi ʒj et axungia suillæ et Thereb.  
f. qu.

(q) v. Differt. sur la nature et la cause de la Rage.

(r) a new method of preventing and curing the Madness caused by the bite of a mad dog.

f. qu. parato, interne exhibui pillulas mercuriales ex Mercurio dulci, Extracto Panchymago et Resina Gial. polychrestas Celeb. Heistero dictas, ponderis grani unius, quarum XX. quovis triduo assumpsit. Loco potus ordinarii, aquam aceto mistam, et paulillo mellis edulcoratam, bibendam injungo, et ex cibis, victum ex carnibus, præsertim suillis, bubulis, salitis et fumo induratis, per aliquod tempus sedulo vitet, suasor extiti, acetaria, et ex vegetabilibus paratos cibos lubens concessi. Suppurationem vulneris Balsamo Arcæi et solutione Sulphuris cum oleo lini promovebam, tres septimanas illud servans apertum, dein balsamicis glutinavi. Omni hoc tempore mane et vesperi, avellanæ nucis quantitatem unguenti mercurialis cruri inunxit, et omni triduo, dein quatrinduo Pillularum usum continuavit. Levis interdum excitabatur ptyalismus, qui autem, exhibita vesperi Theriacæ cœlestis dosi, et insequenti mane sumtis Pillulis, statim remittebat. Simplici hac methodo adhibita, servabatur hæc femina, ad hunc usque diem salva et incolumis. Canem a quo commorsa erat, vera rabie contagiosa infectum fuisse, inde certe constat, quod alii canes ab illo morfu affecti, etiam rabidi redditi fuerint, uti ex post relatione accepi. Præstantissimus hinc elucescit mercurii usus, medicamenti generosissimi, justo tempore et cum judicio, illo si utemur. Atrocissimus sane morbus, rabies hæc contagiosa jure dicendus est; Væ! quot homines illo extincti, quam misera fuit talium hominum, durante morbo, conditio, qui omnem medicinam eludebat, et cujus certissima prognosis, præsertim si ad hydrophobiæ illud



illud stadium perventum, mors erat, qui autem haud prius animam sede sua expellebat, nisi dirissimis et crudelissimis suppliciis, corpore ante affecto. Omnes fere Practicorum et Observatorum libri, tristes hujus morbi historias tradunt, quibus discimus, magnum emolumentum, quod hujus medicamenti cognitione, scientiæ medicæ accessit.

## E P I C R I S I S.

## §. XLIII.

Maxima utilitas in publica civium commoda redundaret, si certissima hæc methodus mercurialibus scilicet remediis, rabie contagiosa infectos, tuto et cito curare, magis divulgaretur, et omnibus innotesceret. Ex tanto remediorum numero, quæ multorum annorum experientia (malum enim perantiquum est, et cujus jam apud Homerum crebra mentio fit) nobis dicitavit, mercurium optimum, tutissimum et usu vel maxime probatum medicamentum censeo; Accedit, quod experientia vindice, etiam in pessimo et secundo illo morbi stadio, quo liquida amplius haud ingeri possunt, et quod hydrophobiam vocare solemus, quod nemo, vel paucissimi saltem evasere, tutum et felicem periculosissimorum symptomatum oppugnatorem se gerat. Illi, quibus *Gentlemann's Magazin* mens. Decembr. 1756. non ad manus est, v. Hannov. nütz. Sammlungen 27tes St. 4. April. 1727. p. 422. ubi quam præclare se gesserit mercurius, in expellendo tam atroci contagio, initio non solum morbi, sed  
etiam

etiam illo jam adultiore, et ægris jam hydrophobis factis videmus. Valde optandum esset, ut jussu Principis aut supremi magistratus, plana et concinna quædam descriptio, succinctis et cujusvis captui accommodatis verbis, a prudenti et exercitato medico elaboraretur, typis imprimeretur, et Medicis physicis, ut et chirurgis minorum urbium et in pagis, quibus rusticorum vita et salus plerumque credita est, distribueretur, ut inde discerent et normam quandam haberent, qua ratione mercurius tam interne, quam externe, tempore necessitatis, rite sit applicandus. Multos sine dubio hoc modo respublica servaret cives, qui hoc auxilio destituti, ipso sæpe flore juventutis et ante exactum vitæ terminum, miserissimo mortis genere opprimuntur.

## §. XLIV.

Quum multis et memorandis plane phænomenis morbus hic detinetur, haud pœnitebit, pauca adhuc de illo observata proferre. Concipere possunt rabiem, præter canes, multa alia animalia, feles, equi, oves, lupi, vulpes, vaccæ, porci, qui periculosissimi omnium sunt, ipsis etiam canibus, armenta que alia, ipsa domestica et pennata animalia, ut anseres præfertim ab animali alio rabido antea commorsa, ipsi etiam homines maxime irritati, aut commorssi.

## §. XLV.

Duplex stadium hic morbus habet, alterum idque prius, quod melancholiæ cujusdam speciem  
habet



habet, et cui aquæ metus nondum conjunctus est; alterum illud longo sæpe intervallo secutum, hydrophobiæ nomine, quod phrenitidis cujusdam similitudinem habet, cumque singulari illo symptomate, aquæ metus et convulsionum inde vehemerrimarum, tandemque, nisi citius medicina feratur, cum morte miserrima XIV plerumque diebus conjunctum.

### §. XLVI.

Canis rabidus, sed nondum hydrophobus, insolito modo gesticulatur, subsidit interdum ad parietes, quasi quid ibi venatus, somno cum pavore et latratu excutitur, rictum dentesque insolito modo objicit, demissis auribus, hiante ore, lingua non tam alba, quam rubra et quasi inflammata, obsitis spuma lenta faucibus, cauda inter crura intercepta currit, generatimque stupidi quid et oculorum adspectu minacis præ se fert. Quum vero jam ipse hydrophobus est, nunquam quiescit, prona via procurrit, exserta lingua, demissa cauda et auribus, in quicquid inter currendum incidit, id mordet et cum furore exagitat, non tamen latrat, saltremque interdum murmurat, nec fustibus percussus ullum clamorem edit, quod rectissime jam Aëcius observavit. Adspectus truculentus est, inflammati oculi, ne herum quidem amplius agnoscit, inque hunc involat, tandemque et ipsis convulsionibus moritur. Animalia alia pro sua quæque indole, varia phænomena edunt, et ipsæ oves perpetuo cursitant, et capitibus in parietes arietant, aliasque insolitas gesticulationes edunt.

### §. XLVII.

## §. XLVII.

Venenum hoc frequentissime morſu inferitur, eſtque adeo violentum, ut ſtupendæ hiſtoriæ de illius communione et contagio, vel per ſolum habitum exiſtent, ancillaque, cui canis rabioſus togæ ſimbriam diſcerperat, dum laceratum locum conſuit, ſilumque dentibus præmordet, recepſiſſe contagium legatur.

## §. XLVIII.

Vnde vero ſubnatum primo ſit, atque an ipſis ſubnaſci in corporibus poſſit, jam pridem diſceptatum fuit. Inprimis ſtupendum illud ſymptoma, quod in ſtadio ſecundo ſeſe effert, ut liquida ingeri nulla poſſint, et vel ad ipſum extremæ linguæ contactum, horrendas convulſiones moveat, ſuſpenſos jam dudum Medicos tenuit. Superiori ſæculo Joſephus ab Aromatariis peculiari libello, id ſingulari cuiſpiam anginæ tribuit, fauciumque inflammationi, multos ſequaces naſtus, inprimisque Bærhaavium, qui et in vulgari Angina eadem obſervari voluit, quum tamen conſtet, anginoſos vel deſperatos, injeſtiones citra hoc ſpecificum ſymptoma ferre. Recte igitur alii cum Bartholino, non ſemper adeo anginam obſervarunt, nec fauces magis, quam in aliis acutis et malignis, inflammatas.

## §. XLIX.

Obſervatione et diſſeſtione quatuor cadaverum,

D

rabi-



rabidorum canum, sed frigidorum et media hyeme, metu vaporis calidi, tot historiis accusati, et trium hominum rabie extinctorum, constabat, viscera imi ventris præsertim hepar, semper eodem vitata modo esse, ac in febribus malignis; Hepar inprimis maculis varii coloris et putrefactis locis, per ipsam quoque penitiorum substantiam, affectum. Bilem cysticam atro-viridem, fœtidam grumofam, vesiculam felleam luridam vel atram, quasi gangranosam et putrilagine solutam. In ventriculo, intestinis et mesenterio, maculas gangranosas et vasa mesaraica sanguine plenissima. Pharynx, larynx et ipse œsophagus, non aliter se habebant, ac in plerisque acutis et malignis. Inde verisimile, supervenire quidem aliquando anginam veram posse, sed symptoma illud, huic non tribuendum esse, sed aliis plane causis. Hæc non dubie unice spastica est, et ex hepate consensualis, analogiam quandam habens, cum illis colli et pharyngis et laryngis spasticis doloribus, quos in omnibus febribus malignis, deliriorum prodromos et comites esse videmus. Quum tamen liquidorum contactu, protinus convulsionibus totum corpus perterrescit, necesse est, hic aliquid specifici lateat, quod protinus affectis primo faucium nervis, et reliquos omnes convellat. Quidam qui post paroxysmos convulsorios, ut initio secundi stadii fit, ad se redierunt, dixere, se summo potus desiderio flagrare, sed uti vix liquidum linguam attingisset, protinus horrendas inde faucium stricturas, truculentas cardialgias et tormina, doloresque capitis acutos et inprimis ad oculos sensitisse, dum statim consequerentur totius corporis con-

convulsiones, sensum omnem abstulissent. Observatur etiam, has convulsiones uti in hysteriis, singultu et vomitionibus incipere, similique modo uti in hysteriis finire. Quidam etiam sub ipsis convulsionibus, fæces lotiumque emittunt. Nec frustranea est ad asserendam hanc conjecturam, horrenda illa circa præcordia anxietas, quam commorsi initio primi stadii, ut icterici sentiunt, ne dicamus quosdam icterodes itidem reddi. Credibile igitur est contagium morsu illatum et sanguine receptum, hepar et bilem primo afficere, ut de plerisque contagiis persuasum habeo, indeque reliquorum symptomatum satellitium consequi.

## §. L.

Venenum corpori commissum, modo citius modo serius morbum hunc producit, haud dubie uti animal, quod momordit, jam hydrophobum fuit vel nondum, itemque pro ipso commorsi conditione corporis. Dignissimum notatu et paullo ante memorata mirifice illustrat, quod observat Aëtius, morsu canis rabidi, omnium maxime et facillime periclitari, hypochondriacos et lienosos. Interdum post annos erupisse legitur, consopitumque post septem demum annos, deinde post tres, rursus post annum, vicissim sanato affectu, erupisse tandemque necasse. Forsan his in historiis aliquid fallaciæ latet, etsi enim Paræo aliisque non negandum sit, hydrophobiæ similem affectum sine morsu in corporibus ad deliria chronica dispositis, existere posse, nec asserere contraria possunt, cujus ge-



neris est illius historia de futoris uxore, solitudinis terrore hydrophoba reddita. Difficile tamen dictu est, an non inopinatus catelli, nondum pro rabioso habiti, morsus antecedere potuerit, cujus omnino generis historiae existunt.

§. LI.

Plerumque qui commorssi sunt, uti citius laborant, si animal jam rabidum fuerit et hydrophobum, quam ubi primum illud stadium delirii, melancholico analogi, adhuc habuerit, ita vix ullum ex vulnere nisi modicum dolorem, quod tamen non semper est, persentiscunt, et praeter terrorem ex casu, qui et ipse conferre multum potest, nihil incommodi percipiunt. Non eodem autem tempore, post, interdumque sat cito, de singulari praecordiorum strictura et anxietate conquesti, interdum et protinus de artuum collique doloribus spasticis, parvis, fugacibus, inter pervigilia insomnia terrificam perpeffi, et hoc per remissiones quasdam experti, solitudinem affectant, tristes et sub-torpidi citra rationem fiunt, non nihil obliviosi, subinde tremuli et anhelii, nauseabundi, oculis tristem et lacrymosum adspectum habent, de aurium modo difficultate, modo tinnitu conqueruntur, circa superiora sudant, et generatim multa cum initiis paraphrenitidis et malignarum febrium communia habent, ut quidam et sub-icterici, praesertim canthis oculorum et digitorum extremis, volisque manuum, alii sub-soporosi cum singulari illo palpebrae inferioris tumore et quasi stupidi fiant, salivæ

salivæ quoque affluxum experiantur. Pulsus sanorum similis, alias tardior, alias paullo frequentior, debilis generatim et intermittens est, extremis subinde perfrigescunt, et urinam pallidam, leviter flavam, non nihil spumofam, perspicuam, quæ post dies aliquot livescit, et sedimenti quid dejicit, non sine stranguria mittunt. Fauces sub aridæ, lingua itidem sed lateribus munda, nonnullis insolito modo fætidum os esse solet. Paullatim sui minus compotes sunt, meticulosi, lacrymosi, vicissim iracundi et ad minimum morosi, facile expavescunt, atque hoc est illud prius et melancholico simile, saltem levius et prodromis febrium malignarum phrenitidisve simile stadium. Inter hæc dolor capitis levis sed vertiginosus et caliginosus, non nihil protinus ab initio est.

## §. LII.

Vbi secundum stadium adpropinquat, illa omnia augentur, horrores ut in febribus malignis, aut rigor sine magno æstu pedissequo, aut perfrigerium membrorum, horroribusve vicissim excipi soliti, incidunt, et omnia uti in ipsius malignæ febris, post mites prodromos contingunt. Ipsa etiam ab his secundi stadii initiis quarta dies, ut in phreniticis vel malignis gravior esse solet. Febris ipsa ordinarias alioqui malignæ febris periodos sequitur, interdumque liquidorum metus, et ex his oblati strangulatio, aliquot saltem ante mortem diebus, accedunt. Multa cæteroquin et hic cum malignis communia sunt, ut vestigia sanguinis ex naribus et



genitalibus, salivæ singularis affluxus et alia hujus generis. Inde a quarto die plerumque, liquida difficilius et cum strangulatione quadam, tussi hausta liquida per nares reddente, qualia mala signa in incrementis malignarum febrium observantur, deglutiuntur, tumque furiosa deliria et re vera phrenitica, præsertim cum exacerbatione febris erumpunt. Itâ triste hoc et lethale stadium phrenitidis cujusdam instar, plerumque ante XII. vel XIV. diem, interdum cum septimo octavoque ad mortem decurrit, ut sub remissionibus quidem paullo mitius, sub exacerbationibus gravius, et cum incredibili robore, laqueis lecto jam adstringendi sint, illo saltem discrimine, quod ad oblata liquidiora, protinus convellantur, etsi non nulli sui adhuc sub remissione compotes, potus desiderent, et sortem suam deplorent, deinde et sine oblatis liquidis, cum exacerbationum tempore, terribiles convulsiones invadunt, os saliva abundat, qua et adstantes conspuunt, non tamen sine periculo; tandemque ad se redire brevi visi, non multo post aut inter novas convulsiones, aut nictu oculi citius, et quasi per subitanam quandam cordis paralyfin, interdum et prægresso peripneumonico stertore, miseram vitam finiunt. Post mortem ut ex malignis febribus, vix obrigescunt, diutule tepidi et cito putridi, maculis quoque lividis et vesicis ichore flavo plenis, ut ab ambustione, non nunquam post mortem alicubi membrorum, erumpentibus.

## §. LIII.

Accuratam hanc atrocis hujus morbi descriptionem

nem per omnia ejus tempora, a §. XLV. usque ad hunc §. LIII. debes, Lector Benevole, Vi-  
 ro experientissimo Brendelio, Gættingensium dum  
 viveret Professori, Præceptoris meo fidelissimo, quam  
 hic insertam legere neminem credo pænitebit, de-  
 prompta est ex MScepto Institutionum Praxeos Cli-  
 nicæ. Symptomatibus, præcedente §. enarratis,  
 secundo stadio decurrente, quæ observantur, unum  
 adhuc teste Cælio Aureliano (v. Acutorum mor-  
 borum Lib. III. cap. XI. p. 220.) et experientia,  
 veretri nempe frequentem tensionem, cum seminis  
 involuntario jactu, addere liceat. Cælius Aure-  
 lianus hunc morbum accurate, incompta licet et  
 semi-barbara dictione, descripsit, et verissimum est,  
 quod editor operum ejus in Præfatione, quam illis  
 præfixit, asserit, „illum morborum historias, a  
 „capite ad calcem non tam describere, quam vivis  
 „et ex ipso naturæ sinu sumtis coloribus pingere,  
 „tantaque exactitudine tum morborum, tum adhi-  
 „bendorum quovis tempore remediorum, articulos  
 „et momenta circumscribere, ut parem vix habeat.  
 Ipse qui illum adit, certe haud contemnendum  
 fructum ex diligenti ejus lectione reportabit.

#### §. LIV.

Historiam adhuc ex Theophili Boneti Sepulcre-  
 to Anatomico p. 213. subjungam, et inspectionem  
 anatomicam, corporis hominis rabie defuncti, egre-  
 gie quæ illustrant, supra memorata asserit Excell.  
 Brendelii, de connexionione, hanc quæ rabiem inter-  
 cedit, et febres malignas, et simul atrocitatem hu-



ius morbi, clare ante oculos ponunt. Discimus hinc præstantiam remedii, apti ad configandam tam dirum morbum.

§. LV.

Josephus Corton, juvenis procerus, atque admodum robustus, a cane quodam rabioso, dextra manu leviter morsus est; vulnusculum per se sanatum est; immo res ipsa et sibi et ejus uxori omnino oblita est. Mihi tamen respondit, (quum hydrophobia correptus est, et ea a me causa assignata est, cur aquam jam bibere non potuit) se uxori dixisse, illud sibi valde mirum visum fuit, quod canis antea sibi jam familiaris, ipsum tunc morderet: at e memoria id totum sibi excidit. Post quadraginta vero plus minus dies, de dolore quodam totum quidem corpus, maximeque dorsum, et tota circum circa præcordia, vehementer afficiente, queritur; pallefcit, huic cavi oculi &c. Die autem tertio a primo insultu ad vesperam, circiter medium Martium anno 1682. Spiritum Vini dictum meracum et calefactum, petiit, potavit, lecto decubuit, vomuit, noctem inquietam egit, et postridie mane valde ægrotavit, cum stomachi vehementi insultu; et quamvis minime sitiebat, tamen omnino bibere non potuit; immo jam propriam salivam ægre quidem deglutiebat, quod ipsi, ut nobis serio multoties asseveravit, vel morte pejus erat: ejusdem autem diei mane, et Diascordii tantillum, et aquam theriacalem ei obtulit quidam Pharmacopola. Diascordium quidem sumpsit, at aquam

aquam gustare non potuit. Atque hæc marie: Prima autem ejusdem diei pomeridiana, hominem primum vidi, lecto decumbentem; Pulsus protinus exploravi admodum parvum, et interdum inæqualem; at neque id nisi ab aliquo stomachi gravi insultu; habitus corporis frigidus, lingua non sicca, sed flexilis et humida, sub-albida. Hominem surgere jussi, et ante claram lucem eum posui, et quod de nescio qua gravi ægritudine, circa stomachum multam querebatur, aquam theriacalem, quæ ad manus erat, propinavi: at quum ori ejus poculum appropinquarem, inhorruit quidem, tremuitque; illud equidem infinita admiratione spectabam, adeoque vinum aquamque petii, et aquam mihi ejus necessarij attulerunt, quam ei statim potandam dedi; se vehementer ad eam resiliit, et ejus stomachus, modo quodam insolito, valde intumuit, et tunc pulsus ei multum tremulus et commotus est: amplius autem eum ad bibendum provocavi, sed ut ad ejus os aquam propius moverem, magis magisque attonitus, caput retro avertebat, singultiens et eam torvis oculis intuens, non sine dentium stridore tandem et vociferatione. Illud vehementer miratus sum, nec ejus symptomatis rationem, ullo modo reddere potui; diu vero cogitabundus feliciter mihi in mentem venit, hunc *aque metum esse*, mihi tantum ad hoc tempus ex libris cognitum, nondum tamen visum. Quo animadverso hominem, iterum atque iterum ad bibendum provocavi, et toties illum valde perturbatum, expertus sum, maxime ad aquæ appulsum. Tandem uxoris matrem et ancillam adstantes in-



terrogavi, qua corporis parte nuper vulneratus est, qua quidem quæstione confusæ responderunt; Quare id quærebam se velle scire: Illum a quodam cane morsum esse dixi. Id verum est ipse ægrotus territus subito mihi respondit, a cane cujusdam *Sutton* vicini mei morsus sum; sed vulnus jam diu sanatum est. Posthæc hominem rursus decumbere jussi, uxorem autem et necessarios alibi domi conveni, et ejus mortem ut rem certissimam prædixi, siquidem tardius esset, quam opem aliquam ferre potuerim, item neminem præter custodes, strenuos aliquot viros illi adesse permittere volui.

## §. LVI.

Venam autem in brachio demorsæ manus, statim secandam curavi, vulnus scarificatione profundiore aperui, et vesicatoria superinjeci, eadem regioni interscapulari, tibiis et brachiis ex interna parte admovi; item Antidotos famosas et usitatas, ut Theriacam Andromachi, cinerem cancrorum fluviatilium, Rutam, Agaricum, forma boli propinavi. Illud autem notandum est, solida quæque cochleari assumere potuit, quod ut jam video C. Celsum non latuit, sed id non sine multo tremore et metu, obnixè supplicans, ut caute id fiat, neque aliquis ea subito et improviso afferret, et ut in ejus manus leniter deponerentur, quibus acceptis manum suam suspensam, paullatim versus os dirigens, subito cochleare intra id, velut ejaculando, conjicere voluit, et dicto citius, *velut canis ad offam,*

*offam*, quicquid in cochleare detentum est deglutire, idque multo expeditius voraciusque, quam est hominum aut consuetudo aut natura. Ex variis autem Antidotis aliquid singulis horis, ad multam noctem sumsit, et semper ad modum jam descriptum: item potionem plurium generum, subinde obtulerunt die nocteque, quam tamen nunquam sine horrore vidit, gravi stomachi motu superveniente. At salivam deglutire ei horrendum fuit, perinde ac si mortem ipso momento inferret. Nox illa ex toto insomnis fuit.

## §. LVII.

Postridie vero ejus sanguinem, e venis missum diligenter inspexi, optime quidem se habentem et colore et consistentia, et proportione utriusque partis, feri ac crassamenti rubri et sanorum sane quam simillimum.

## §. LVIII.

Febricitavit jam primum et pulsus jam celerimus, fortasse magis a calidis antidotis multoties exhibitis, et vigilia perpetua et animi anxietate, quam a morbo. Aqua denuo oblata est, sed frustra, immo me magnopere rogavit, ut non amplius ei molestus esse velim, ut saltem quiete mori sinerem, adeo aqua ei terribilis, ut nihil supra, sed et omnia alia quaecunque illi jam terrorem incutere dixit, ejus mortem jam jam instare sentit, quod animo  
inquit



inquit pene defecturus sum, et admodum quidem pallidus, et cavo et tenui vultu erat,

§. LIX.

Multa autem difficultate hominem vestitum persuasi, ut se in faciem inclinaret, lectoque incumbentem sese super ventrem prosterneret, pectore tamen et vultu in terram ultra lectum libere deorsum prospiciente: nam mihi verosimile esse videbatur, ut hoc corporis positu, (scilicet canino, aut quadrupedum more, quam erectiore humanoque) facilius biberet. Itaque cerevisiæ tenuioris urnam capacem, ipsius ori placide subjici curavi, quam protinus ut aspiceret, infinito gaudio amplexus est, et ejus odore se admodum refici dixit, portionemque jam cum insigni voluptate vidit; seque minime dubitare, quin totam urnam ficcare posse affirmavit, et qui jam tantum non moribundus videbatur, jocosè locutus est, et cum uxore et necessariis ejus, multa lepide et jucunde confabulatus est, inventionem meam mirifice laudat, mihi gratias quam maximas ex animo dedit &c. Caput autem versus cerevisiam, maxima festinatione impetuque movebat, sed frustra, nam quoties labia aperuit, stomachus vehementer offensus est, linguam jam exeruit, ac si lamberet, sed cum vel summo ejus apice, cerevisiam tangere contigit, territus resiliit; bibendi tamen vana imagine usque delectatus est, amphoramque e conspectu ejus subducere ancillam, sinere noluit, et quoties eam parum et leniter subtrahere conata est, odorem securus est

est naribus, canum more follicans. Diu et multum sic frustra fatigatus, se jam plurimum offendi dixit, odore cerevisiæ tenuioris, scilicet nimium vappido et languido, idque sibi ne biberet impedimento esse, itaque aliam (fortiorem cerevisiam nostratibus dictam) petiit; atque illa ex voto dicto citius oblata est, sed post infinitos conatus et linguam millies canino more exertam, neque ex ea vel primis labiis gustare potuit. Atque hac positione modo ventri incumbens, modo manibus et genibus innixus, integra minimum hora persistebat (Tantalum agens) at omnino citra potionem. Deinceps tenui fistulæ, e pennis coagmentis confectæ, alterum caput ejus ori, atque alterum cerevisiæ immittimus, sed illo siphone uti non potuit, atque idem esse videbatur, ac si quis illum canis ori intrusisset. Ita vexatus me persuadente tandem decubuit, et non multo post exitum meum nervorum contractione correptus est, ore spumavit, latravit, adstantes dentibus petiit.

## §. LX.

Hoc autem paroxismo finito, Elleborismum in bolo propinavi, quod libenter avideque perinde ut cætera sumsit, ab eo ter quaterve copiose vomuit, eoque se multum levari dixit, tamen subinde convellebatur, et in accessionibus semper desipiebat. Post quatuor autem horas hominem rursus visitavi, et jam sacerdos etiam accersitus est, quo cum multa loquutus est sobrie et pie, precesque publicas ab eo repetens, et sacramentum mentis dominicæ  
vehe-



vehementer petiit, quod tamen propter morbum dare non licuit; Testamentum scribi iussit, et rationum libros inspexit. Post hæc rursus hominem ad bibendum sollicitavi, et jam promte se ipsum in ventrem sua sponte vertebat, omnique artificio et ingenio utus est, ut de cerevisia capiti subjecta biberet, sed nunc ut olim frustra; Insuper poculum exiguum argenteum potionis plenum in ejus manum tradidi; quod cum prope os leniter et suspensa admodum manu admovisset, subito intra proprias fauces illud ejaculare voluit, ut de bolis facere consuevit, sed dentibus allisum in amphoram subjectam cecidit.

### §. LXI.

Illum autem quum non meminissem, toto decubitus tempore vel minxisse, vel semel dejecisse; ideo enema dari curavi, quod protinus rejecit et convulsus obiit. At eum non minxisse et satyriasi molestissima correptum fuisse, (de qua plurimum questus est, maxime cum in genibus et manibus incumbibat lecto) a vesicatoriis potius quam a morbo oriri, verisimilius mihi esse videbatur, at lecto postea Cælio Aureliano, Antiquorum diligentissimo (siquis alius) scriptore, ipsius morbi unum e propriis signis esse cognovi.

### §. LXII.

Huic historiae aliam adhuc, quæ anatomen hydrophia defuncti, sistit, subjungam, utpote quæ egre-

egregie Illustris Brendelii sententiam confirmat, qua asseritur, hydrophiæ causam non in inflammatione faucium et œsophagi quærendam, sed hepatis affecto et peculiaribus inde spasmis, ut in malignis potius tribuendam esse. Apud Bonetum in Sepulchreto Anatomico, p. 212. etiam hæc descripta legitur, hisce verbis.

### §. LXIII.

Laurentius, Serenissimæ et Clementissimæ meæ Reginae, a pedibus, d. i. Martii 1678. incidit in subitanam hydrophobiam ut ne guttulam liquidi, cujuscunque generis possit deglutire, cum tamen solida quæcunque promte per gulam dimitteret. Ab exhibitis bezoardicis et alexipharmacis parum juvabatur, die tertio rabie correptus, saliva ubertim ex ore fluente, adstantes omnes conspuebat, quarto demum morbi die, extra lectum in sella sedens, facto uno et altero corporis subsultu, subito suffocabatur. Aperto per Chirurgum Regium Hacquardum me præsentem, cadavere, corpus prorsus extenuatum erat, ac si hæctica diuturna tabefactum fuisset, caro musculosa omnis, ut pinguedo pene consumpta, omentum item penitus consumptum, ut intestina flatibus distenta, nuda jacerent, mesenterii glandulæ et pancreas, prorsus extenuata. Hepar in parte convexa sano simile, in parte concava inflammatum, et gangrænæ proximum, cum pleura tam firmiter coaluerat, ut vix nec sine ruptura avelli possit. Sinister lobus hepatis, lieni tam firmiter adnatus erat, ut non nisi sectione ab invicem possent



possent separari. Vesicula fellis bile viridiuscula plena, costis itidem arcte adhærebat. Ventriculi interior tunica corrupta, ut digitis posset abradi; Ejus superius orificium exile admodum, ut et totus œsophagus angustus et valde constrictus. Pulmones aridi et exsuccii, costis utrinque adnati. Pericardium ne guttulam aquæ continebat. Cor flaccidum et extenuatum, cujus dextra auricula insigniter tumebat; dexter ventriculus sanguine grumoso plenus, in sinistro sanguis plane fluidus. Renes satis magni notabili vitio carebant, succenturiati egregie conspicui. Cerebrum non inspectum, quia instrumenta ad calvariæ necessarium depositionem, ad manum non erant.

#### §. LXIV.

Eum in finem uti superius jam dixi miserrimi hujus morbi historiam et ex Manuscripto Illustris Brendelii, et ex Celeberrimi Boneti Sepulcreto Anatomico, repetii, ut deplorandus status hominum tam atroci morbo correptorum, omnibus innotesceret, et præstantia remedii homines lethi faucibus eripientis, magis elucesceret. Maxima certe cordati medici lætitia est, si armamentarium suum novo armorum genere, apto, ad vincendum hostem omnia alia arma, antea qui eludebat, auctum videt. Inter Germanos mihi saltem nemo adhuc notus est, qui mercurium, hominibus a canerabido commorsis, adhibuisset, suasit illum Ill. Brendelius, uti supra jam dixi, sed ipse illo haud usus est. Ego in historia supra narrata, plana et simpli-

simplici methodo usus sum, sufficiens, dum malum adhuc in incunabulis jaceret, quam quisque pro circumstantiarum ratione, variare potest. Virgente enim necessitate Turpethum minerale, securius, mercurius dulcis boli forma, decocta Chinæ, Saffaparillæ, Guajaci &c. addito mercurio in petia ligato, jungi possunt, immo hydrophobia superveniente, copiosiori inunctione unguenti mercurialis, salivæ fluxus cieri. Forfan et mercurius sublimatus corrosivus, et in rabie contagiosa eundem præstat effectum, quem, experientia Celeberrimorum in arte medica Virorum, in extirpanda lue venerea, carcinomate et aliis pro incurabilibus habitis morbis, edidit. Maximam autem cautionem requirit usus hujus mercurii sublimati corrosivi, et non nisi a prudente medico, prudenter exhibendus. Frid. Hoffmannus, (s) Hermannus Bærhaavius, (t) Gerardus L. B. van Swieten, (u) Sanchezius, Phil. Frid.

(s) v. Fr. Hoffm. Epitomen operis majoris, a Cl. Büchnero adornatam. Sect. II. Cap. V. §. XCIII. p. 162.

(t) v. Elementa Chemiæ, T. II. p. 426. Edit. Lips. 1732.

(u) v. Josephi Benvenuti, Lucensis, Dissertat. historicam epistol. ad Clariss. Jac. Barthol. Beccarium, qua epidemicæ febres etc. huic adjunctæ sunt literæ Illustris L. B. van Swieten, quibus mercurii sublimati corrosivi usum, tutum internum in lue venerea, Cl. Benvenuto, aperit; oppido raræ hæc sunt epistolæ.



Frid. Gmelinus (v) et A. Elias Büchnerus, (w) heroum in medicina nomine jure salutandi, quippe qui primi ausi sunt, formidabilem olim mercurium sublimatum corrosivum, funera necemque minitantem, internis felicissimo eventu destinare usibus, et illo morbos expugnare, priores medici, quos incurabiles credebant. Si enim ratiocinii ex analogia quædam vis, in rabie contagiosa mercurius corrosivus, haud spernendum præstabit, effectum, experientia autem rerum magistra destitutus, nihil certe hac de re affirmare possum.

### §. LXV.

Supereft, ut breviter pauca adhuc subjungam, de remediis usitatoribus et celebrioribus hucusque usitatis, sed potiora tantum proferam, quum omnia, quæ libris tradita sunt, enarrare, nec tempus, nec spatium, nec instituti ratio sinant. Pulvis Palmarii multis in Dispensatoriis reperendus, plerosque deseruit. Orichalci rasura vomitoria est et hoc nomine forsân aliquid præstat, præsertim, quum nostra memoria experientia Ill. Cothenii, Consiliarii Intimi et Archiatri Regis Prussiæ, Practici felicissimi, constet, cuprum limatum ad grana aliquot per triduum, mane pani butyro illito inspersum, XIV homines a canibus rabidis commorsos, salvos et incolumes

- (v) v. Dissertationem de specifica methodo recentiori cancerum sanandi etc. Tübingæ 1757.  
 (w) v. Dissertat. de mercurii sublimati corrosivi usu medico interno. Halæ Magdeb. 1758.

columnes servasse, ea tamen lege, ut statim vulnere inflicto adhiberetur remedium, nam si vel sex horæ jam elapsæ erant, tunc exoptatam salutem haud afferebat hæc methodus. Etsi nunc cuprum venenis et nocivis remediis vulgo annumeratur, tamen hi XIV homines, nullum inde sanitatis detrimentum sensere; effectus erat per alvum urinam et salivam. (x) Analogon huic remedio est, quod in den Hamburgischen freien Urtheilen vom 4. Jun. 1751. ut certissimum laudatur, drachma una scilicet fuliginis ex cupreo lebate derasi, et quidem tanta vi, ut æris simul portio secederet, additur pulveris Cornu Cervi usti et herbæ Cardui benedicti quantum cultri cuspis continere potest, et propinatur cum aqua Cardui benedicti. Ravenstein (y) anagallidem flore puniceo ad scrupulum unum vel duos in lacte aut pane butyro illito celebrat, duas ad summum tres doses curationi sufficere addit. Est hoc illud remedium, quod jussu Principis Episcopi Bambergensis omnibus Episcopatus subditis publico mandato notum est redditum. (z) Scarabæi Majales, sive minores illi fecali infidentes, experientia diuturniori opus habent, forsanique animale contagium ab animali levatur, specifica occultaque ratione. Collegium Medicum Anspacense jussu Principis, hos Scarabæos maja-

E 2

les

- (x) v. Lohse'sche Abhandl. der auserlesenen Arzney: Mittheil. p. 309.  
 (y) v. dessen Sammlung seltener Begebenheiten in der Natur.  
 (z) Hasenest medicinischen Richters 3. Theil. p. 1. sqq.



les melle suffocatos ut certum Antidotum contra canis rabidi morsum proposuit. Hujus remedii jam apud Sennertum mentio fit, Med. Pract. L. I. Part. II. Cap. XVI. p. 444. item in Miscell. Nat. Curios. Dec. I. obs. 302. p. 452. et ibid. Vol. VI. Obs. 92. p. 326. Mitius per urinam agere creduntur, hi scarabæi, quam cantharides Kramerii aceto coctæ, etiam ut certum antidotum celebratæ (a). Haleces ex muria comesti nil forsân aliud, quam quod cum salino quodam et ammoniacali remedio conveniant, multumque præsertim porum sollicitent, et vel hoc nomine mea sententia rejiciendi. Pulvis Antilysius Londinensis s. potius Hans Sloane, jam in Pharmac. Edinensem et Württemberg. novam receptus est, præparatur hoc modo.

℞. Pulv. Lichenis cinerei terrestris, Raji ℥j.  
Piperis nigri ℥ss.  
Sachari Candi qu. l. M. D. S.

Capiantur mane et vesperi grana X-XX aqua purissima, cum justo sudoris regimine. Plura de hac Pulvere et egregio illius usu vide in Philos. Transact. V. XX. n. 237, in van Swieten's Commentar. in Boerhaav. aph. T. III. p. 1147. et in Tom. Imo der fränkischen Sammlungen, p. 475, ubi illa notari merentur, quæ D. Bannekens teste experientia de illo tradit, Londini Dr. Nungent

(a) v. Commerc. literar. Noric. Ao. 1735. Hebd. XI. p. 83.

gent (b) sequenti methodo usus est, qua feminam a cane rabido commortam, et jam hydrophobam, feliciter curasse, scribit. Largas adhibuit venæsectiones, et omni trihorio propinavit pillulam ex opio paratam ponderis gr. ij. et pulverem Tun-kinensem, qui hoc modo conficitur,

℞. Cinnab. Antimon.

nativæ āā gr. XII.

Moschi gr. xvj. cum suff. quant. Mellis

F. Bolus una vice capiendus.

Venæsectionem iteravit, et contra alvi obstructionem enema injicere curavit, quod Vinum vitri Antimonii ingrediebatur. Brachium vulneratum oleo olivarum probe fricabatur. Morbus quotidie remittebat, aquam et videre et haurire poterat. Subito terrore concussa, omnia iterum in pejus ruebant, exhibitis autem opio et bolo sequenti

℞. Asæ fetidæ gr. xij.

Moschi gr. x.

Camphoræ gr. vj. F. cum melle bolus.

iterum sanitati restituebatur, et sex hebdomadibus elapsis, perfecte sanata erat. P. F. Gmelinus etiam propria dissertatione, quam inscripsit specifi-cum antidotum novum, adversus effectus morsus

E 3

canis

(b) v. Christoph Nungent Essais on the hydrophobia, to which is prefixed, the case of a person, who was bit by a mad dog, had the hydrophobia, and was happily cured. Lond. 8. 1753.



canis rabidi, febres malignas, pesti proximas, et exanthematicas varias, inflammatorias, singultui junctas manias et melancholias etc. Tubing. 1750. Moschi usum celebrem reddidit, adjiciens, illum Sinenfibus, contra rabidorum animalium morsum, jam dudum cognitum fuisse. Ill. Brendelius, ea qua erat perspicacitate, multum in hoc casu uti etiam in febribus malignis, tribuebat Moscho et Zibetho, utpote corpori bili analogo, et huic forsitan corrigendæ specificæ, apto; sententia enim Celeberrimi hujus Viri, uti supra jam proposui, erat, causam hujus mali non tam in inflammatione faucium, quam potius in singulari corruptione bilis et hepatis, quærendam esse; Conf. §. XLIX. D. Huldstæd Observationibus constat, vulnera rabidi canis, venenatorum serpentum et aliorum animalium, lapidis genere quem in Hispania Piedra de la serpente, vocant, tuto et feliciter sanari posse. Ferrur, hunc lapidem gigni, in capite serpentis Indici, recentiores autem libri Hispanorum docent, illum lapidem nil aliud esse, quam particula Cornu Cervi leniter igne ustulati. Id saltem experientia certum est, Cornu Cervi ustum, eosdem producere effectus ac Piedra de la serpente. Methodus qua adhibetur hæc est; Vulnerus ab animali inflictum acu pungitur, ut sanguinolentum fiat, tunc lapis applicatur, qui sanguinem fugit et vulneri adhæret tam diu usque ad omne virus exhaustum est, tunc enim sponte decidit, lacte dein ablutus, iterum novo usui idoneus est. v. *Abhandlungen der Königl. Schwedischen Academie der Wissenschaften*. 16. Band. p. 79. Cl.

Cl. Vir G. L. Rumpelt Chir. Stud. uti se vocat, qui J. L. L. Læfeker Materiam medicam concentratam edidit, v. pag. 296. sibi eum in finem ex Cornu Cervi usto lapidem qualem diximus, fecisse, scribit, ut experimenta cum illo institueret; Optandum ut Clariss. hic vir, quas de eo expertus est, vires, candide, publico impertiret, et quid de illo statuendum sit, et an laudes, quæ alii illi tribuunt, mereatur, dijudicari possit. Ante aliquot annos Amstelædami Chirurgus hujus urbis Clarissimus Rathlauw peculiari scripto, remedium celebravit, quod autem mea quidem sententia ulteriori adhuc experientia eget. (c) Illustris Brende-

E 4 lius

- (c) Modus præparandi hoc medicamentum, ita ab illo describitur. ℞. Ol. vitrioli Libr. j. olei olivarum Libr. ij. coquatur horam unam, et semper cochleari ligneo agitetur, ad Extracti consistentiam. Huius uncia una vasi duar. Pintar. capaci, indatur, et affundatur Pinta una aquæ feruentis, in qua Salis Tartari vel cinerum clavellatorum uncia quatuor solutæ sunt; Tunc hoc vas leni igni imponitur, et ad  $1\frac{1}{2}$  Pintæ remanentiam destillatur, aqua hæc pellucida ulteriori usui servatur. Si quis a cane rabioso vulneratus est, tunc vulnus hac aqua eluatur, et linteum in illa madefactum imponatur, dein capiat æger Theriacæ ℥ij. Moschi gr. XV. et superbibat hujus aquæ ℥iv. Hoc biduum mane et vesperi reperatur, observata simul severa diæta. Dein capiatur vitelli trium ovorum, olei lini ℥iijss, coquantur ad tabul. consistentiam, dividatur in tres tabulas, quarum unam omni quadrante horæ assumat æger; Hæc sunt etiam illæ tabulæ, quas hyprophobia jàm præsentè, commendat Cl. Rathlauw.



lius illud magna potius quam medicamentum vocabat, et ob solum acidum olei vitrioli dilutum, illi commendabile, videbatur. Cæterum illi, qui mercurium atroci huic morbo opponunt, breviter hic nominandi veniunt. Frere Choisel, Pharmacopœus Jesuitarum in Pondichery, qui magnam a rabidis animalibus commorsorum hominum copiam, sequenti methodo servavit, quæ quum experientiam uberiolem commendatricem habet digna est, ut narretur. Parti corporis vulneratæ inunxit unguentum mercuriale ex mercurii vivi ℥j. Terebinthinæ ℥ij. et adipis vervecinæ ℥iij, hancce inunctionem decem dies continuavit, et simul exhibuit ℥j. Pillularum hoc modo præparatarum. ℞. Mercurii vivi ℥iij. Terebinthinæ ℥j. Rhab. Pulv. colocynth. Gummi gutt. āā ℥ij. M. F. cum mellis despumati suff. quantitate Pillulæ. v. ejus nouvelle methode sure courte et facile, pour le traitement des personnes attaques de la rage etc. Paris 1756. Hicce Tractatus plura lectu dignissima continet, homines enim hydrophobia jam correptos, hac methodo, pristinæ sanitati restituit. Darlue etiam usum mercurialis unguenti et Turpethi contra morsum rabidorum animalium commendat. v. Mercure de France Juin p. 168. Item Morando Natione Italus vide ejus Osservaz. della cura preservativa della rabbia canina etc. Ancona 1755. Celeberrimus Boissier de Sauvages Turpethum et unguentum mercuriale commendat v. ejus Diss. sur la nature et la cause de la rage. Paris 1749. Dominicus Broggiani, Prof. Medicinæ

DE  
 cior in Pl  
 præferri  
 facit et m  
 fera hujus  
 per in inf  
 probe em  
 minum rub  
 pius quiden  
 rum infam  
 observati,  
 re immutata  
 dem, cerebri  
 ta: in veat  
 nullis vesic  
 sua plane  
 genitalia vi  
 ne turbato  
 sunt adha  
 commendat  
 (2) v. equ  
 tali et  
 (3) Mem  
 via  
 dicitur  
 pharyng  
 gram  
 rryng  
 adha  
 sensu  
 ceteri  
 time  
 A. Bar

cinæ in Pisano Athenæo (*d*) mercurii usum et præsertim salivationem illo productam, maximi facit et multum commendat, ad curationem pestiferæ hujus luis. Causam hydrophobiæ, non semper in inflammatione faucium quærendam esse, probe animadvertit, tredecim enim cadavera hominum rabie extinctorum, aperuit, in quibus sæpius quidem faucium ventriculi immo et intestinorum inflammationem et gangrænam (*e*) interdum observavit, sæpe tamen deglutitionis organa, plane immutata vidit. Cæterum observavit cutem aridam, cerebrum et meninges sanguine valde distenta: in ventriculo bilem atram, quam etiam in nonnullis vesicula fellea continebat, in aliis autem vacua plane reperiebatur. Sæpe etiam ureteres et genitalia virilia maxime inflammata: Venas sanguine turgidos, arterias autem vacuas esse. Superfunt adhuc alii, qui mercurium in hoc morbo commendant, superest etiam magna adhuc reme-

E 5

dio-

(*d*) v. ejus Tractatum, de veneno animantium, naturali et acquisito. Florent. 1752. 4to.

(*e*) Idem observavit Consiliarius Riedel, qui cadaver viri quadragenarii, XL. die hydrophobia extincti dissecut, enormem scil. putredinem musculorum pharyngis et laryngis, insignem tumorem cartilagineum arytenoidum, et putridam lympham in larynge. Illud etiam notatu dignum phænomenon addit quod aëre in motum acto, æger iam inde sensum doloris et quasi suffocationis in faucibus perceperit. v. Acta Academiae Electoralis Moguntinæ scientiarum utilium, quæ Erfordiæ est, Tom. I. Erf. et Gothæ 1757. p. 342.



diorum a variis Auctoribus laudatorum copia, quibus omnibus recensendis hæc plagulæ non sufficiunt. Unicum tantum adhuc commemorabo usum scilicet olei olivarum, Anglorum et Celeberrimi A. Vateri experientia, contra serpentum, viperarum et aliorum venenatorum animalium morsum, celebre, quo cum pulvere antilyssæ H. a Sloane, supra descripto, feliciter usus est, (f) D. Bæneckens.

## §. LXVI.

Multa quidem proposui remedia, varia Clarissimorum Virorum auctoritate et experientia præstantia, mea tamen sententia ex mercurio parata, et rite et tempestive adhibita, omnibus aliis palmam præripiunt. Exempla hominum a rabidis animalibus commorforum, et jam hydrophoborum, longe plura et uberiora sunt, quæ mercurius curavit, quam ullum ex cæteris allatis remediis. Vel mea levidensis Observatio, quæ de hoc morbo differendi occasionem subministravit, prærogativam mercurialium confirmare videtur. Nihil magis in votis habeo, quam ut ubivis locorum tutissima hæc methodus innotescat, et in salutem omnium illorum hominum cedat, quibus id infortunii accidit, ut a rabido animali mordeantur, multorum enim civium vita hoc modo servabitur, et medici exultabunt

(f) v. der Fränkischen Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Arzneygelahrtheit u. s. d. 1. Band. p. 475.

bunt de remedio certo ac tuto, ad debellandum morbum, antea qui plurimorum pharmacorum vim eludebat, et jam hydrophobos factos ægros, fere omnes miserrime trucidabat.

## OBSERVATIO IX.

*Abdominis enormis contractio,*

*Viscerum imi ventris, Situs plane mutatus,  
et intestinorum invaginatio.*

## §. LXVII.

**D**ie XVIII. 1760. cadaver feminæ maxime emaciati et extenuati habitus, cui pedes et femora versus abdomen reflexa et curvata erant, nec ulla vi extendi poterant, incidi. Quæ nunc hæc sectio me edocuit, brevibus exponam. Morbum hujus feminæ præmitterem sectionis historiæ, rescire autem illum haud potui.

## §. LXVIII.

Quod externum habitum attinet, valde uti jam dixi emaciata erat, ita ut cutis ossibus superinducta videretur, et musculorum vix vestigium appareret. Abdomen valde contractum, et umbilicus spinæ dorsæ insidere videbatur, nam inter hunc et spinam dorsæ, nulla digitus explorans intestina intermedia depre-



deprehendebat, sed umbilicus arcte spinæ dorſi ap-  
 preſſus erat. Femora ſuperne abdomen verſus re-  
 clinata, pedes autem infra hæc verſus glutæos re-  
 flexi cernebantur, ita quidem, ut ſiniſtrum femur  
 magis incurvatum eſſet, quam dextrum. In u-  
 troque latere circa regionem trochanterum majo-  
 rum femoris, cutis intertrigine afficiebatur. Fe-  
 mora et pedes tam fortiter recurvata, ut multa ad-  
 hibita vi, haud poſſent extendi, vel crus etvari.  
 Patet hinc feminam hanc, morbo quodam chroni-  
 co, cui tabes ſe junxit, et motus vehementiores  
 convulſivi et ſpaſtici ſupervenerunt, notabile ſatis  
 temporis ſpatium decubiſſe.

### §. LXIX.

Interior fabrica ſequentia monſtrabat.

- a. Abdomine reſerrato, omentum, quod in pluri-  
 mis, viſcera abdominis pene omnia contegit, to-  
 tum fere deletum erat, ſuperſtite ſolum ejus  
 particula, latitudine trium et longitudine quin-  
 que latorum digitorum, circa regionem coli ſini-  
 ſtri, muco potius quam membranæ ſimili. Va-  
 ſa ſanguifera abdominis, præſertim venoſum ſy-  
 ſtema, ſanguine turgeſcebant, et inteſtina multis  
 locis rubra et inflammata. Ventriculus parvus  
 et contractus, plane ex ſitu ſuo naturali dimotus  
 erat, ſiniſtro in hypochondrio jacens. Inteſti-  
 num jejunum et duodenum multum diſtenta,  
 rubra et inflammata apparebant, cujus rei cauſ-  
 ſam invaginationem ſcilicet inteſtini jejuni, me-  
 dio circiter ſuæ longitudinis, ulterior indagatio,  
 mani-

manifestabat. Erat hæc invaginatio quatuor digitos lata, et levi tractione pars invaginata intestini exsolvebatur. Inflammatio hic maxima, et venæ sanguine turgidissima. Nunc inquirens in finem ilei et in cæcum, illa etiam loco suo dimota, et in cavitate sinisteriori pelvis, eum reliquo intestinorum tractu, sita deprehendo. Colon quidem ascendebat, uti in situ naturali solet, sed suetum iter haud absoluebat, hepar non attingebat, sed statim ad sinisteriora vergens iterum ad pelvim redibat, et in rectum terminabatur. Infra invaginationem ad ileum usque jejunum multum adhuc inflammatum erat. In cavitate pelvis infra intestina, quarta mensuræ pars, seri flavi extravasati reperiebatur. Intestinorum toto tractu aperto, vidimus in tenuibus, mucum tenuem in fine ilei jam stercoraceum, in crassis autem fæces liquidas putridas. Vermes nulli. Hepar naturalis formæ et magnitudinis, vesicula fellea prægrandis, et ex flavo viridiuscula crassa bile distenta. Lien sano simile nec non pancreas et renes. Glandulæ mesenterii obstructæ.

- b. Aperto thorace, pulmones pleuræ fortiter in utroque latere accreti erant, dextri autem lateris pulmo fortius quam sinistri. Sanguine maxime inflati, qui per omnem fere substantiam extravasatus erat. Liquor pericardii oppido paucus. Cor sanguine multum distentum dextra inprimis auricula cum ventriculo dextro.
- c. Cranio serra dissecto, ablato et meningibus incis,



cifis, fere dimidia mensura feri flavi extravasati inter meninges et cerebrum quod hærebat, inde emanavit. Vasa sanguifera cerebri et hic etiam præcipue venæ sanguine maxime turgebant.

- d. Ossa quum in sceleti usum, maceratione et coctione prævia, a recrementis et sordibus repurgarentur, valde friabilia et mollia deprehendebantur. Observavi id imprimis in capitibus femoris et ossis humeri, et circa extremitates ulnæ, radii, tibiæ ac fibulæ. Evenire hoc interdum solet, ut ossa, quando sceleton extruere volumus, justo molliora sint, maceratione et coctione ossium nimis longe productis, hinc autem hocce vitium præsentem in casu haud subnatum est, quum breve tantum temporis spatium et macerationi et coctioni impensum fuerit, quærendum ergo potius in morbosa ossium constitutione.

## E P I C R I S I S.

### §. LXX.

Dirissimus sine dubio et dolorificus morbus fuit, quo ægra hæc, longum satis temporis spatium, decubuit, quod ex immobilitate et obrigescentia musculorum femoris patet, eum jam in gradum adulta, ut extensio femoris et pedis in rectam lineam, sine dilaceratione tendinum musculorum, impossibile esset. Invaginationem intesti-  
ni

ni et mutatum situm viscerum abdominis, a doloribus intestinorum spasticis et convulsivis vehementioribus derivanda existimo, qui morbo symptomati supervenerunt. Invaginationem haud longe ante mortem subnatam censeo, et sine dubio multum contulit ad accelerandam mortem, inflammatio enim fere totius tractus intestinorum tenuium, non potuit non vitæ insidias struere. Magna feri copia, quæ meningibus incis, effluxit, haud improbabilem suspicionem excitat, ad nervosos morbos, illum referri posse, qui ægrum longum satis tempus exeruciavit. Principia enim nervorum a tanta feri extravasati copia, compressa, non potuerunt non, mirabiles in corpore effectus producere. Maxima illa connexio et sympathia quæ nervos intercostales et Paris vagi, cum omnibus aliis totius corporis nervis intercedit, et præsertim imperium illud si consideremus, quod illis in viscera abdominis ventriculum, intestina, hepar et bilem est, facile patebit, spasticos et convulsivos motus viscerum imi ventris, præcipue intestinorum, inde oriri posse. Ultimam vitæ scenam, finit, si conjecturæ locus est, febris quædam acuta et inflammatoria, peripneumonia, quod pulmones sanguine turgidissimi et copiosæ illorum suggillationes satis monstrabant. Supervenit hæc peripneumonia symptomata, et naturæ viribus deficientibus, crisi producendæ, qua morbus resolvi potuisset, haud amplius sufficientibus, illa animam sede sua expulit. Videmus vel hinc veritatem effati Aretæi, neminem facile sine febre mori. Plurimos morbos chronicos et qui multos sæ-



pe annos jam affligere, plerumque terminat febris quaedam acuta, quæ naturæ viribus diuturno morbo exhaustis; vitæ filum abrumpit. Hæc quæ de hujus morbi indole suspicatus sum, ignoscas Lector, B. si et tuæ experientiæ et verioris Praxeos Clinicæ præceptis haud ad amussim consentiant, quum enim de morbo, quo hæc femina laboravit, nihil rescire poteram, saltem quaedam mihi probabilia visa, afferre volui.

## OBSERVATIO X.

*Ebrietas summa.*

## §. LXXI.

**J**uvenis XX et aliquot annorum mercatoris cujusdam minister, quum in nundinas, quæ Salzliebenhalle, vico Episcopatus Hildesensis, mense Martio 1758. habebantur, proficiscitur, nunc in pago, miliare uno adhuc a Salzliebenhalle distante, tanta Spiritus frumenti copia se ingurgitat, ut nec amplius pedibus insistere nec ambulare valeat. In currum ergo, qui merces venales vehit, ferunt ebrium hunc, itineris socii. Venientes nunc in vicum hunc ebrium illum exanimem fere nec mentis compotem, in stabulum portant et stramini subiecto imponunt, nemo enim audita morbi causa illum domo excipere volebat, tandem me in consilium vocant; Video hominem palpebris

bris clausis jacentem, vultu prætumido ac torvo, spuma præ ore atque fauces illa obsessæ; Totum corpus frigidum erat et pulsus vix sentiendus; caput si in altum levabatur, statim manu remota, iterum retro in stramen cadebat; respiratio parva anhelosa, et stertori peripneumonico simili juncta, aëre sibilo quodam spumam lentam transeunte. Pedum aut manuum motus nullus, quæ ut mortui hominis membra moveri sine ulla sensationis nota, poterant. Hæcce videns statim Theam calidam afferri jussi, et unum et alterum vasculum illa repletum illi exhibenda curavi, nihil autem et ne guttulam quidem deglutire poterat. Quum nunc viderim, juvenem hunc valde plethoricum esse, et præterea tanta vi spirituosus potus ventriculum onerasse, qui restagnans versus superiora, pectus et caput opplebat, chirurgum jubeo, ut sinistri brachii venam incideret, detrahuntur octo unciaë sanguinis, ægro absque sensu et motu persistente. Nunc chirurgo, Tartari emetici gr. iij ut ægro cum Thea ingerat injungo, et domum abeo, moneo simul socios itineris, ut curam omnem eo dirigerent, ut cito citius lecto calido possit tradi, ne amplius in stabulo undiquaque aperto, aëris injuriis expositus sit. Bihorio elapso iterum redeo, sed omnia adhuc in pristino statu erant. Stertor peripneumonicus multum auctus erat, ita ut fere de vita infortunati hujus desperarem. Jacebat adhuc in stabulo et nemo illi hospitium concedere volebat, totum corpus frigore perfusum erat, et pulsus debilissimus. Adeo ergo magistratum huius vici, qui audita deploranda huius hominis conditione,

F

tione,



tionem, statim curavit, ut in domum transferretur, quo facto, et lecto calido imposito et stragulis bene operto, illi iterum Theam et in illa gr. iv. Tartari emetici soluta exhibeo, effluit iterum, sed repeto idem medicamentum, tandem aliquid quum in ventriculum pervenisset huius emetici, et multa Thea infusa, spuma, ori, faucibus et laryngi inhærens, solveretur, incipit vomiturire, semper ingerunt adstantes decoctum Theiforme, et illo vomitus promovent, qui tandem et copiosissimi insequuntur. Evomit incredibilem meraci spiritus frumenti copiam, naribus simul magna mucii copia prodit, sanguine tincta, solvitur et alvus, et corpore lecti calore percalefacto, debilissimus quidem, attamen sat bene se habet. Superbibit quædam adhuc vascula Theæ, mens redit, et altero mane iterum in conspectum prodit, quem auxilio destitutum, certissima mors, ebrium oppressisset.

## E P I C R I S I S.

### §. LXXII.

Nihil quidem peculiare continet hæc Observatio, quum exempla hominum, qui majori copia spirituosorum potuum se ingurgitant, quam et corporis et animæ vires ferre possunt, quotidie obviam sunt, attamen quum in nostro ægro tantus ebrietatis gradus erat, qui morti certe illum tradidisset, nisi iusto tempore medelam tulissem, haud indignam hanc observationem

tionem cen  
pla milit  
dominum,  
menti copi  
non nisi ce  
lecte, coë  
cularione,  
ntus nou  
culum, que  
pori et cre  
abominanda  
suetudo.

O B

puerper

F  
emina ru  
primipari p  
mariti, mor  
XIV dies æg  
vicinia medi  
quodam herb  
veres in val  
vires a puer  
hæc pestunt

tionem censui, huic fasciculo ut inferatur. Exempla mihi vel propria experientia etiam nota sunt hominum, quibus ab ingesta magna spiritus frumenti copia, flamma cærulea e faucibus prorupit, non nisi celeri et copiosa ingesta aqua vel præcipue lacte, coërcenda. Patet hinc, si missa morali speculatione, physice saltem consideremus magnam sanitatis noxam, immo ipsum subitaneum vitæ periculum, quæ incidunt, homines nimio spirituosorum potui et execrandæ ebrietati dediti, quam maxime abominanda et detestanda sit hæc pessima consuetudo.

## OBSERVATIO XI.

*Hydrops Anasarca,*

*puerperio superveniens, feliciter curata.*

## §. LXXIII.

**F**emina rustica juvenis XX et aliquot annos nata, primipara puerperio nondum finito, ex relatione mariti, morbum acutum incidit continuum, qui XIV dies ægerrime illam affligit, ab empyrico in vicinia medicamina petunt, qui lagenulam decocto quodam herbarum et pulveres aliquot exhibet; pulveres hi valide *ανω και κάτω* corpus expurgant, et vires a puerperio et partu nondum satis resectas, plane pessundant. Propinantur hæc medicamina

F 2

pri-



primis morbi diebus, tandem nulla amplius medicina data, decimo quarto die effluxo iterum per hypocaustum obambulare incipit. Vires haud recuperavit, nec ciborum appetitus rediit, et membra totius corporis lassata et maxime gravata semper queritur. Aliquot adhuc diebus elapsis pedum subsequitur tumor, qui sensim indies increfcit, femora occupat dein et imum ventrem et ipsa praecordia distendit. Lecto iterum affigitur agra, pedum ac femorum tumor semper augetur et abdomen praecipue ita inflatur, ut lecto decumbens, praingenti imi ventris tumore, pedes suos haud videre poterat misella haec femina. Cibi desiderium, antea plane deletum, jam iterum hydropis incremente, paulisper excitabatur, ita ut carniū juscula tenuiora et panem bis coctum capere posset, et interdum multo cum desiderio exposceret. Maritus interrogatus, an durante puerperio lochia rite fluxissent? an morbo acuto superveniente, et drastice illis pharmacis ab Empyrico exhibitis, fluere desissent? sibi omnia haec incognita esse respondebat, idque valde sibi mirari addebat, me illum tam multis quaestionibus divexare, qui tamen mihi urinam uxoris tradidisset, ex cuius accurata inspectione, ego longe melius divinarem, quamnam essent mala symptomata morbum suae uxoris vel antecedentia, vel concomitantia. Nihil nunc amplius ex rustico hoc, quum rescire possem, omnibus probe pensitatis, simplici hac methodo ad curationem pessimi huius morbi, usus sum:

℞. M. Pill. Tartar. Bontii ℥ij.  
 Aperient. Stahl. Ph. Würt. ℥j.  
 Refin. Gial. gr. xv. cum ℥. qu.  
 Essentiæ Pimpin. F. l. a Pill. præl. gr. j.  
 Consp. Lem. lycopod. DS. Capiantur ter-  
 tio quovis vesperi Pillulæ xv. ad xviii.

℞. Elixir. Aperitiv. Clauderi ℥j.  
 Essentiæ Fuliginis Clauderi ℥vj.  
 MDS. Capiantur omni quadrihorio  
 xl guttæ cum cerevisia calida, addi-  
 ta Roob Sambuci ℥. quantitate;

Roob Sambucinum plebejum alias remedium, egre-  
 gia vi discutiendi et expellendi aquas hydropicas,  
 pollere, jam antea et aliena et propria mihi ex-  
 perientia constabat, hydrope nec febris acutæ nec  
 viscerum inflammationi conjuncta.

℞. Tartari Vitriolati ℥j.  
 Salis Absynthii gr. xij. M. F. Pulvis.  
 Disp. in 12plo. D S. Mane et vesperi unus  
 decocto sequenti capiendus.

℞. Rad. Ononidis  
 Bardanæ āā ℥j.  
 Rad. Chinæ ℥vj.  
 Caryophyllat. ℥℥.

M D S. Coquatur dimidia pars tribus  
 mensuris Aquæ fontanæ ad remanen-  
 tiam mensur. duarum cum semisse.  
 Capiantur mane ac vesperi calide qua-  
 tuor vel quinque vascula, Thea hau-  
 riendæ quæ inserviunt.



Monui præterea rusticum hunc, ut ciborum appetitu etiam vegetiori reddito, tamen parco illam victu nutriret, et jusculis semper radices apii hortens. folia chærefolii et Petroselini incoqueret. Femora pedes immo et imum ventrem leviter leni manu pannis laneis calefactis, fricanda iussi, ut aquæ hydropicæ extravasatæ in cellulosa subter cutem undiquaque stabulantes, eo melius et diaphoresi et diuresi et alvo, fluxiliores reddita, medicamentorum vi expellerentur. Octiduo præterlapso rursus, maritus hydropicæ nostræ, lætus me convenit, et uxorem ejus, a medicamentis ordinatis, maximum fructum percepisse narrat, imi ventris tumorem, qui antea enormiter plane et hypochondria et præcordia distenderat, ut vix spiritum ducere potuisset, nunc fere plane evanuisse, respirationem esse liberam de qua maxime lætaretur uxor, somnum etiam, quo longo tempore caruisset, nunc multo meliorem, (nam antea si capite paululum reclinato, somni cupidissima, illo vires a morbi diuturnitate et ferocitate confectas, reficere voluisset, statim oppressum tumore hydropico pectus, et anxia et difficilis inde respiratio, omnem somnum longe abegissent. Quindecim Pillulas ex descriptis alvum sexies excitasse, et multam copiam fæcum liquidarum et putidissimarum dejectam esse; Incredibilem urinæ copiam secundo et quarto et sequentibus diebus illam excrevisse; Femora etiam multum derumuisse, imos autem pedes maximo tumore elevatos adhuc esse, cutem rigidissimam, splendentem, ita ut de ruptura timerent, daß der Geschwulst aufbreche. Priora medica-

dica-

dicamenta continuanda et repetenda fufsi, ea saltem mutatione ut loco Radicis Ononidis et Bardanae Corticis Peruviani ℥iſſ. ſubſtituerem, et Elixir reſolvens ex Effentia Fuliginis Clauderi et Elix. aperitivo paratum, tantum per ſex horarum interval- la uſurpandum, commendarem. Præterea exhibui marito Spiritus Alcoholifati et paulisper campho- rati uncias duas, et ut prætumidos pedes hoc ſpi- ritu incenſo, fumo ejus ter in die probe foveret, et dein iterum pannis laneis calefactis leni manu fricaret, ſevere illi injunxi. Aliis iterum octo die- bus elapſis, maximus pedum tumor, etiam diſpa- ruit, quodam tamen adhuc remanente. In imo ventre nulla amplius ejus veſtigia, lectum etiam nunc deſerit; Curationi huic brevi et pauciſſimis remediis peractæ ut colophonem adderem, jam loco Pillularum ſequentes pulveres præſcribo

℞. Pulveris Rhei optimi ℥ij.

Tartari Vitriolati ℥j. M. F. Pulvis.

Diſp. in ʒplo DS. Capiatus unus mane per quinque dierum interval- la.

Elixir reſolvens et aperitivum etiam haud am- plius neceſſarium judicavi, et ut fibris debitum ite- rum robur conciliaretur, hoc pulvere ad aliquod adhuc tempus uſa eſt, uſque dum perfectæ reſti- tueretur ſanitati, et ſuctis ruſticis operibus inter- eſſe poſſit.

℞. Pulveris Stomachici Birkmanni ℥j.

Limatur. chalybis ſubtiliſſime præpara- tæ ℥ſſ.

Sachari Canariens. ʒvj.

F 4

MDS.



MDS. Stärkendes Visceral-Pulver, cu-  
jus omni quadrihorio quantum duo cul-  
tri cuspides continere possunt, capiatur.

His omnibus rite usurpatis optime valuit: Vel  
anno post iterum febrem tertianam intermitten-  
tem incidit, statim autem meam efflagitat opem,  
antequam Medicastrī cujusdam ut rusticorum mos  
est, medendi methodo se subjiceret: Illis nunc  
quæ leniter evacuant, et febrilem materiam resol-  
vunt et digerunt exhibitis, Cortex Peruv. ad ʒiʒ.  
pulveris forma addita Cinnamomi et salis Ammo-  
niaci suff. quantitate, propinatus, feliciter et hanc  
febrem profligavit, superstitē vel ad hunc diem  
ægra, salva et incolumi.

## E P I C R I S I S.

### §. LXXIV.

Hunc morbum fuisse hydropem anasarcam, nec  
autem ascitem, facilis curatio, et inferiorum extre-  
mitatum tumor, fovea ab impresso digito relicta,  
(hoc maritus narravit, ipse enim durante morbo  
ægram non vidi, aliquo autem tempore post illam  
optime et læte viventem, videre mihi contigit) et  
alia signa satis commonstrabant. Satis quidem  
mihi notum est, anasarcam hydropi asciti, inter-  
dum junctam esse, tunc autem longiori curatione  
opus est, et malum facilius revertitur. Hydrops  
ascites est illa mea quidem sententia hydropis spe-  
cies,

cies, quam Medicorum scandalum esse, Veteres non injuria dixerunt; Prostant quidem hinc inde veræ hydropis ascitis curationes, interdum autem et quidem sæpissime, quum insignem plerumque, nec facile corrigendam viscerum imi ventris labem conjunctam habet, vel sagacissimorum medicorum consilia et remedia eludit.

## OBSERVATIO XII.

*Menstrui sanguinis inordinatus fluxus,*

*Varia inde symptomata, urticata exanthemata,  
tandem sanguinis sputum et hydrops  
anasarca.*

§. LXXV.

**F**emina XVII annos nata viro nubit, quum vel unum et dimidium annum ante matrimonium mensium fluxum experta erat. Fuit hoc conjugium ad hoc usque tempus sterile; Duos priores annos sana vixit, tertio, subito quodam terrore inopinato percussa, brevi ante illam periodum qua ordinarie menstrua erumpere solent; illa quidem prorumpunt, sed parcius longe, quam alio tempore, solvitur hoc lunare tributum. Oriuntur hinc sueta symptomata, quæ semper menstruum sanguinem justo parcius fluentem, comitari solent; peculiaris

F 5

sci-



scilicet gravitatis sensus in omnibus corporis membris, rubores faciei, stricture circa præcordia, levissimo corporis motu respiratio angusta, dolores in regione lumbari et circa os sacrum, et cibi fastidium. Evanescent omnia hæc symptomata nono die circiter, calculo facto ab illo, quo sanguis menstruus cepit fluere. Adhibentur nunc tempore intercalari lenia evacuantia, temperantia et sanguinem diluentia. Venæsectionem in pede, pediluvia et emmenagaga medicamenta fortiora et appropriata, ob metum incipientis graviditatis, haud commendare volui. Periodo illa nunc recurrente, qua juxta naturæ leges menstruus sanguis iterum prodire debebat, ille plane supprimitur. Sequuntur iterum symptomata prædicta, quibus sese addunt, dentium dolor effrenatus, et tussis valde noctu præprimis molesta; Dentium dolori superveniebat tumor maxillæ, qui, cataplasmatibus mollientibus adhibitis, quarto die ruptus, pus intus conceptum in os effundebat. Dentem, qui sævissimos dolores creabat, nec anodynis, nec oleis æthereis, nec acidis mineralibus sopiendos, quum simul carie erofus esset, chirurgus evulsit, doloribus statim cessantibus. Aliquot dies post mane cum tussicula levi et screatu saltem prodit sanguinis guttula, quæ toto hoc mane, semper tussicula infestante, sputo se immiscet; pomeridie nullum in sputo sanguinis vestigium; sequentibus diebus semper mane sputum sanguineis striis intermistum. Tertio ab hoc, quo primum sanguinem exspuit die, tussi fortiori, et sæpius infestante, rejicit ægra nostra multo screatu, gypseam sive calcariam quandam materiam, albam, fri-

friabilem, fabæ minoris magnitudine; Vires indies minuuntur, ita ut vix amplius per hypocaustum ambulare possit. Commendo aquas Selteranas, huic affectui specifica quadam facultate quæ mederi creduntur cum lacte caprino; et decoctum Corticis Peruviani, quod pomeridie ad duo cochlearia quovis bihorio capit, et acidulas cum lacte mane antemeridiano tempore, interpolatis etiam justo ordine ac dosi, lenibus evacuantibus et temperantibus. His per bîduum continuatis, invadit febris quotidiana intermittens, quæ perpetuo lecto illam affigebat, viribus fere omnibus exhaustis, et tussi magis ac antea infensiori. Miratus quidem sub ipso Corticis Peruviani usu, certissimi contra has febres specifici, febrem intermittentem, quam minime suspicabar, invadere. Statim autem subit cogitatio, an forte lactis cum aquis Selteranis connubium, in debilissima hac persona febrem hanc produxisset; alia iterum sententia erat, qua ex mente asseclarum Celeberrimi Stahlî, cogitabam, an non hæc febris intermittens salutare quoddam naturæ molimen dicendum sit, quo repagula solvere tenter, justum sanguinis menstrui fluxum impediencia, et hac ex causa alenda potius, quam statim exhibitis specificis coercenda. Quum nunc lectum ægrota adirem et altero huius febris paroxysmo finito statum eius penitus considerarem, nebulae adinstar a sole oriente dissipatæ, omnia priora ratiocinia ex ipso ægræ intuitu, etiam dissipata fuere. Ægrota enim debilissima maximos pectoris dolores querebatur, qui semper sub quovis febris insultu augebantur; Verba faciebat voce submissa, et quæ virium defectum lucu-



luculenter monstrabat; Cito citius ergo extinguendum hoc febrile incendium putavi, antequam in flammam luculentam, id est febrem continuam erumperet, cui superandæ et felici crisi finiendæ, ægrotâ nostra haud par fuisset. Omnem ergo curam, missis aliis contemplationibus, eo direxi, ut quam primum fieri possit, febrem hanc coercerem, cujus singuli paroxysmi, certe semper graviores noxam induxissent. Selteranas ergo aquas cum lactis contubio omisit, ejus loco Pulveris Corticis Peruviani optimi subtilissimi ℥ij. et Pulveris Cinnamomi gr. iv. omni hora præbui, ab hora vii. vespertina usque ad nonam matutinam, qua febris paroxysmus invadere solebat; Tota nocte omni hora unum pulverem assumpsit, duabus horis exceptis, quibus profundo somno vires lassatas quâdantenus refocillavit; xii. pulveres consumpsit ante febris paroxysmum, qui etiam substitit, nihil febrilium motuum in corpore ægræ, hoc mane sese manifestante. Quam nunc pulveres valde averfaretur, ejus loco Extractum liquidum sive decoctum Corticis Peruv. inspissatum, pauxillo Spiritus Nitri dulcificati, addito, ad guttas Centum omni trihorio exhibui. Triduo nunc exacto, et febre in fugam profligata, iterum Selteranas aquas sine lacte mane potandas commendo, et vel hora ante prandium et pomeridiano tempore, Extractum liquidum Corticis Peruviani, idoneo vehiculo, scilicet ante prandium pauxillo Vini Moscellani et pomeridie Thea pectorali. Hac methodo x. dies continuata, fere pristinae sanitati restituta videbatur ægra tussis haud amplius molesta erat,

pecto-

pectoris dolores et circa præcordia angustia, evanescere, ciborum appetitus optimus, et vires corporis multum auctæ. Adhibentur etiam Venæsectio in pede, pediluvia et quovis vesperi frictiones pedum et femorum, pannis laneis calefactis, quibus id tandem efficitur, ut, quum lunare tributum iterum solvendum esset, menstruus sanguis rite et justa quantitate proflueret, optime se habente ægra. Menstruo fluxu finito, Selteranarum usus octiduum adhuc continuatur, quo elapso, quum ægra videret, nullis se amplius incommodis divexari, longiorem aquarum mineralium usum recusavit. Vivit nunc iterum sana, menstrua suum typum servant, interdum autem levior quædam tussicula sicca, aliquot dies infestat, qua tandem calcaria vel gypseæ quædam materies uti supra jam dixi, excreatur, sentitque tunc temporis pectoris dolores et solito majorem torporem et gravitatem membrorum, phlogoses etiam totius corporis et facies rubore suffusa, sæpius tunc quam alio tempore erant. Commendo igitur iterum hæc æstare acidulas Selteranas cum corticis Peruviani connubio. Potantur etiam saluberrimæ hæc aquæ, et effectus optimus est, nam ab illo tempore nullam amplius rejecit materiem gypseam sive calcariam, optima gavisâ valetudine.

### §. LXXVI.

Anno nunc elapso circiter, qua nescio causa, an ex terrore, an animi quadam offensione, an ex alia re, iterum menstrui sanguinis fluxus, cepit inordi-



ordinatus fieri, multa ex supra narratis symptomatibus iterum fatigant, pectoris dolores, etiam accedunt, illud enim statim in consensum trahitur, animali œconomia vel levissima ex causa turbata; Alio iterum tempore quum periodus fluxus menstrui instaret, vesperi sana et hilaris, lectum petit, et somno statim opprimitur, media autem nocte, subito rigore percussa, expergescit, rigor tantus est, ut dentes strideant, et totum corpus subsulter, per duas horas affligit, et tunc excipit illum, æstus febrilis, qui diem et noctem insequentem valde molestus est, jungunt se illi fitis immodica, et capitis maximi dolores; sequenti die erumpunt exanthemata urticata per omne corpus, et melius quam heri ægra se habere videbatur. Postero nunc die fluxus menstruus prodit, sed parca quantitate, et biduo finito, jam desinit. Ægra lectum quidem nunc deserit, minus tamen firma valetudine gaudet, ciborum appetitus imminutus est, et membra totius corporis lassæ et gravata. Medicamenta quæ feбри opponeram sola temperantia erant, gravioribus acidis et guttulis Mixturæ Simpl. non rectificatæ, remissa. Feбри finita nec aquas Selteranas, olim saluberrimas nec venæsectionem nec ulla alia medicamenta admittere voluit, id sibi firmiter persuadens, fore, ut hæcæ symptomata, absque pharmacorum usu desinerent. Sed jam altius agit suas radices hoc malum, et insidias struit gravissimas, nec opinanti nec tale quid cogitanti. Aliquot et vel octo diebus ante insequentem periodum fluoris menstrui, imum ventrem tumere sentit, ita ut etiam vestimenta laxare necesse

esse habeat, sed nihil sinistri inde suspicans, fluxum supervenientem, hunc imi ventris tumorem, jam aboliturum esse, certissima credit. Instante nunc periodo, mane a tussi expergefacta, quæ illam infestabat, vidit sputo multum sanguinis inesse, tussis crebrior redditur, et sanguis qui sputum tingit, semper augetur; surgit e lecto, et statim me in consilium vocari jussit, tussis increbescit, et quovis screatu nunc sanguis meracus prodit; pectus oppletur et respiratio angusta fit. Sanguis etiam nares petit et quædam guttulæ ex illis stillant, caput valde gravari, aiebat, ægra, et maximam omnibus membris esse inquietudinem. Chirurgus nunc arcessabatur, qui ex vena pedis sinistri ꝑꝑ sanguinis, meo jussu detraxit. Quum ægra pedes aquæ calidæ immitteret, vidimus utrosque jam esse tumidos, quod illi incognitum adhuc erat, sed id a venæsectione me non deterruit, probe sciens periodum fluxus menstrui instare, et sputum sanguinis, ab impedito per venas uteri transitu et stagnatione pectus versus et caput, ortum esse. Memoratu dignum est quod ægra venæsectione finita, mihi aperiret, se jam maximum ex hac venæsectione fructum reportasse, capitis enim dolores, uncias aliquot sanguinis detractis jam esse levatos, et fluxum mensium etiam durante adhuc venæsectione prorupisse. Sputum sanguinis et fluxus ex naribus statim ac vena aperta esset, etiam remittebant. Præscribo temperantia, Corticem Peruv. Extracti liquidi forma, et species lenientes pro Thea pectorali. Ægra erat valde debilis, cui, inopinatum sanguinis sputum, cujus saltem uncias tres excreverat,



verat, haud levem injecerat terrorem. Sanguini hoc sputum pomeridie hora circiter iv iterum revertebatur, sed parcius ac mane, quum unam saltem ejus unciam, exspueret. Sequentibus diebus et omni reliquo tempore nullum amplius ore sanguinem rejecit, tumor autem pedum, femorum et imi ventris semper indies augebatur. Sanguis menstruus duos saltem dies et parcissime fluebat. Quinto vel sexto die opprimebat hic tumor pectus, facies inflata et manus et brachia prætumida erant. Noctu lecto decumbens, caput reclinare haud poterat, statim enim ac id fieret, pectus tumore hydropico oppressum, respirationem ita impediēbat, ut vix spiritum ducere posset; Surgere hinc cogebatur et obambulare, ut saltem respirationem liberaret, tandem somno nimis urgente, lectum iterum petens, quiescit quidem paullisper, sed non decumbit, et situ corporis erecto subjectis illi pulvinaribus, somno fatigatum corpus demulceret. Interpono nunc Cortici Peruviano, cujus usum omni quadrihorio extracti liquidi forma continuo, Pillulas laxantes et purgantes seqq.

℞. Pillul. aperit. Stahlī ꝑ̄ss.  
Resinæ Gial.

Extracti Agarici āā gr. vj. c. f. qu. Træ  
Rhab.

Spirituosæ F. l. a. Pill. pand. gr. j. Obduc.  
Auro. D S. Capiantur XIIIX - XXI. pro una  
dosi, dimidia pars vesperi et reliquæ mane,  
altera autem dosis, quinque diebus post.

Porro

Porro Tincturam leniter diureticam ex Essentia Millepedum, vincetoxici et Mra. s. n. rectificata paratam, omni bihorio ad guttas XL. cum cerevisia calida, Roob Sambuci saturata, exhibui. Non semper lecto adfixa erat ægra, sed plerumque die per hypocaustum ambulabat, animo semper hilari, nec de salute desperante. Id notatu adhuc dignum est, quod ille pes, in quo vena secabatur, primos dies, haud tanto obsideretur tumore, ac alter, sed quinto demum die, tumore alterum æquaret. Ciborum appetitus non plane dejectus erat, quos tamen saluberrimos tantum et coctu facillimos concedebam. Pedes ac femora præsertim circa malleolos et condylos femoris, naturalem suam proportionem vel quadruplo superabant, interdum anasarca pectoris et abdominis detumescibat, femora autem et pedes majus capiebant incrementum, noctu autem ratio inversa erat, quum enim mane surgeret, tumor imi ventris et pectoris major erat, femorum autem et pedum moles imminuta. Pedes tam graves esse, ajebat, ac si multa illis pondera appensa essent. Initio morbi me infcio raphanum rusticum in orbes dissectum nudæ plantæ pedum subligaverat, eo sine, ut aquam educeret, sed nullum inde effectum vel levamen ægra sensit. Prima quum vice pillulas purgantes assumeret, octies vel novies alvi inde dejectionem experta est, summo morbi levamine, debilitata quidem valde fuit frequentiori alvo laxa, tumor autem hydropicus pectoris inprimis et imi ventris, multum imminuebatur. Tinctura diuretica frequentiore lotium excernendi stimulum

G

excita-



excitabat, et hac etiam via, multum aquarum hydropicarum corpore educebatur. Roob Sambuci, quod semper vehiculum erat, et diuresin et diaphoresin promovebat, superiori observatione jam laudatum, et in præsentî casu, specificam aliquam virtutem in curatione hujus morbi habere videbatur. Otiduum saltem huic medendi methodo quum institissem, et pillulæ purg. etiam repetitæ essent, pectus, abdomen et summa femora hydropico tumore, fere liberata videbantur; Pedes autem maximo adhuc tumore distenti erant, immo longe majori, ac ipso sub morbi incremento et stadio; videbatur enim ac si pectoris, abdominis et femorum aquæ, omnes hic decubuissem, et hic sibi exitum parare vellent; Cutis enim circa malleolorum regionem ad rupturam ferè distenta erat, dura, renitens et leviter quasi inflammata; Spiritu Vini rectificato, paullisper camphorato, eodem modo ac in priori observatione, pedes fovendos ter de die, et pannis duplicatis calefactis, leniter illos fricandos curavi. Consilium itidem dedi, ne semper per hypocaustum obambularer, sed lecto decumberer, ne situ corporis erecto, nimia influerent copia aquæ hydropicæ in pedes, cutemque eorum nimis distenderent, hoc consilio id triduo effluxo effeci, ut ita detumuerit et hinc pedum tumor, ut commode et sine metuenda noxa ambulare possit ægra, maxime lætata, quod gravissimus hinc morbus, qui illum jugulare immo et morti tradere, (quem cognati et vicini omnes ut rem certissimam illi prædicebant) minitabatur, tam celeriter in fugam datus sit. Id notandum

Extracti

Extracti  
 morbi ten  
 ut hydrop  
 miter peri  
 multum ad  
 conciliato  
 contrahere  
 nare polle  
 Tincture d  
 syde subtili  
 niculi et Sec  
 prefereren  
 ulum, aliq  
 dum omnis  
 et pristina  
 que die,  
 profuente,  
 infatante,  
 Multis in  
 tiorem, præ  
 per genera  
 sunt, obnox  
 hæc observat  
 potiore loc

Extracti liquidi Corticis Peruviani usum, omni morbi tempore continuatum esse, sine ullo metu ut hydrops anasarca inde augetur, id potius firmiter persuasus sum, Corticis Peruviani usum multum ad celerem et tutam curationem fecisse, conciliato scilicet fibræ robore amisso, ut validius se contrahere et aquam intercutem feliciter exterminare possent. Finem curationis feci, quum loco Tincturæ diuretici, pulverem martialem ex chalybe subtilissime pulverisato, Cinnamo, semine fœniculi et Sacch. Canariens. suff. quantitate paratum præscriberem, cujus et Extracti Corticis Peruviani usum, aliquod adhuc tempus continuavit, usque dum omnis pedum tumor plane exterminatus esset, et pristina sanitas restituta, quæ etiam ad hunc usque diem, mensium fluxu rite et iusta quantitate profuente, nec tussi et sanguinis sputo amplius infestante, salva et incolumis mansit.

## E P I C R I S I S.

## §. LXXVII.

Multis iisque gravissimis morbis sexum elegantiore, præ sexu virili, qui ex impedito sanguinis per genitalia menstruo fluxu, suum originem trahunt, obnoxium esse, quotidiana experientia et hæc observatio docet. Si quis objecerit, sexum

potiorem loco fluxus menstrui hæmorrhoidibus



sape laborare, ex quarum suppressione itidem gravissimi morbi orientur, nec diuturnitate nec atrocitate cedentes illis, qui ex intercepta menstrua sanguinis purgatione, amabilem sexum tam atrociter divexant; illi respondendum est, sexum priorem haud ordinarie et juxta naturæ leges hæmorrhoidum fluxui, uti sequior menstruo fluxui sanguinis, subjectum esse, sed esse symptoma tantum haud omnibus superveniens, sed multos immunes dimittens; Accedit quod pulchrior sexus eodem modo ac virilis, huic affectui, scilicet hæmorrhoidibus et cæcis et fluentibus, obnoxius sit, et easdem calamitates, quas prior sexus, ex earum retrocessu, experiatur. Videmus in nostra observatione præter multa alia symptomata, quæ apud plerasque sæminas mensium obstructione laborantes observantur, se in nostra ægra etiam alia eaque gravissima addidisse, scilicet dentium dolores gravissimos, sputum sanguinis, vomitam pulmonis, tussim effrenatam &c. alio iterum tempore, febrem urticatam et insequenti periodo, sputum copiosum sanguinis meraci, hydropem anasarcam, fluxum sanguinis ex naribus et alia, vitæ aut phytiseos periculum minitancia; in quam illam proclivem esse procerus et tenuis corporis habitus, collum longum, genarum rubor circumscriptus, exstantes scapulæ, et tenerior fibrarum textura, monstrabat; hæc enim signa jam Hippocrates in illis animadvertit, qui natura in phytisicos et hæcticos morbos proni sunt. Quum nunc ratio et experientia doceant, illas sæminas, quibus tenerior fibrarum textura est, et in phytisin dispositio, longe facilius  
et

et graviss  
ille, qui  
patet, unde  
via sanitatis  
perceperit,  
raci sputum  
eruptionem  
verius sipe  
to et simul  
dum esse r  
strum qui  
mus, inde n  
tunc tempo  
viam, san  
teriori imp  
valorum  
feriora fiet  
lores expis  
ne vena ed  
strui, non  
et insignem  
stram. Di  
egregium C  
morbis, san  
illis enim n  
fanda, et n  
se semper  
promatum,  
rus hocce C

et gravius lædi, a mensum suppressione, quam illæ, quibus athletarum robur et sanitas; facile inde patet, unde factum sit, quod nostra ægra, tam gravia sanitatis suæ detrimenta, ab impedito hoc fluxu perceperit. Ultimum illud sanguinis multi et meraci sputum, horas aliquot ante menstrui sanguinis eruptionem factum, et maximum illum sanguinis versus superiora pectus et caput nisum, ex hoc sputo et simul sanguine per nares elabente, quem factum esse videmus, clausis adhuc uteri vasis, menstruum qui sanguinem plorant, attente si consideremus, inde nobis illucescet, maxima venæsectionis tunc temporis in pede institutæ, utilitas; quæ si non vitam, sanitatem saltem certissime servavit, quum ulteriori impulsui sanguinis in pulmones, et rupturæ valorum nobilissimi hujus visceris, revulsione ad inferiora facta, optime hac ratione cautum sit. Dolores capitis, antea vehementissimi, statim sanguine vena educito, sedati, et eruptio fluxus menstrui, nondum finita venæsectione, præclarum et insignem ejus usum, luculenter satis demonstrant. Discimus et usu confirmatum videmus, egregium Corticis Peruviani usum, in pectoris morbis, sanguinis sputo et hydrope anasarca, in illis enim morbis, in quibus fibrarum laxitas accusanda, et nimii humorum impetus coercendi sunt, se semper tutum et securum morbosorum symptomatum, expugnatorem mihi gessit, nobilissimus hic Cortex.



## OBSERVATIO XIII.

*Arthritis sive Podagra.*

*Vir L et ultra annos natus, laborat gravissime  
Podagra, quem infra descripta medendi  
methodus, per quatuor annos, ab  
illa, immunem servat.*

## §. LXXVIII.

**V**ir quidam, verbi divini Minister, quinquaginta et aliquot annos natus, habitus corporis cæterum robusti, et qui a primis pueritiæ annis usque ad XLVIII. nullis plane morbis conflictatus erat, quum podagra aliquot jam septimanas ægerime laborasset, me in consilium vocat. Lecto illum affixum deprehendo, valde querentem de doloribus circa genu dextrum, articulationes et plantas pedum. Inquirens nunc in hujus morbi causam, vitam anteaactam et an alii forte morbi prægressi fuerint? sequentia ipse mihi de morbi sui statu et vita antecedente refert. Illum a tenerima inde ætate nullis aliis morbis correptum fuisse, quam variolis et morbillis, quæ felicissime autem absque ulla inde orta sanitatis noxa, eluctatus esset. Hyeme præsertim gelidiori, et si uno die plures actus ministeriales et sermones sacros fecisset, tussim et catharrum, interdum affecisse, mox vero absque ullo relicto incommodo quæ cessassent, a quadragesimo inde ætatis anno, accerbissimis

simis doloribus regione lumbari et per omne abdomen vagantibus, multum et sæpe illum infestatum fuisse, præsertim vehementiori corporis aut animi motu prægresso. Initio se hunc dolorem, pro simplici colica ut vocant, habuisse, a cruditatibus ventriculi et intestinorum ortam, sequentes autem paroxysmos, hanc sententiam erroneam fuisse, satis monstrasse, quum tensioni per lumborem regionem gravissimæ, urinæ ardor, difficultas et vomitus sese jungerent, quæ symptomata haud remittebant, nisi multa Thea calida ingesta, et loco dolenti pannis duplicatis calefactis et quo calor diutius servaretur, regulis calentibus impositis; Tunc enim multa urina sabulosa quin et interdum lapilli exercebantur; Luculento indicio et antea jam passas colicas, initium fuisse verissimorum nephriticorum dolorum; Annis aliquot iterum elapsis incidisse febrem intermittentem quartanam, quæ diu et ægre illum excruciaisset, ita ut tandem, viribus omnibus exhaustis et ciborum desiderio plane prostrato, etiam et extra paroxysmum vix per hypocaustum obambulare posset, et incipientem veram cachexiam valde timeret; Corticem Peruvianum in substantia quidem exhibitum esse et satis magna quantitate, ne minimum autem fructum aut morbi levamen ab usu ejus reportasse, quovis semper paroxysmo, quasi renovatis viribus, redeunte; Accedit quod empyricus ad refocillandas vires, juscula ex carne præcipue bovina saturatiora et ex aliis carnibus parata, maxime commendaret, ceu anchoram salutis; ipsum autem animadvertisse, jusculo pinguiori et saturatiori ex carne bovina capto,

G 4

semper



semper paroxysmum fortiozem rediisse; Tandem amicus suadet decoctum Corticis Peruviani Vinosum, et prohibet simul jusculorum ex carnibus imprimis bubulis, usum; Cortex Optimus in hunc usum seligitur, et vix semi-libra hujus decocti hausta, substitit paroxysmus. Continuatuz hujus decocti usus, per aliquot adhuc hebdomades, et vires deperditæ sensim iterum restaurantur; Haud longe post, pergebat æger noster, se ex improvise subitaneum et gravem dolorem circa tendinem Achillis, sensisse, tanta acerbitate affligentem, ut pedi vix insistere posset. Nullum probabilem hujus acerbis doloris causam videns, chirurgum in consilium vocat, qui subluxationem factam, hujus doloris causam, accusat, pedem extendit, et spirituosa adplicat, die uno adhuc elapso, cessat hic dolor et pedi ut antea insistere et ambulare potest. Alio iterum tempore, quum aliquot noctes insonnes transegisset, sinistrum pedem dolorem gravem et acerbum invasisse, nunc illi in mentem venisse, an forsan Podagra esset, ille dolor, qui tam dire illum exeruciaret, vocasse ergo in consilium, hominem quendam, tunc temporis ibi degentem, qui se medicum esse profitebatur, illique mentem suam explicasse, quid de hoc morbo sentiret, et an non vera arthritis sive podagra esset, qui illi tam acerbos crearet dolores; Illum autem respondisse, minime podagram dicendum esse hunc morbum, sed catharrum frigidum eo delapsum. Adplicatur suræ vesicatorium, quod autem maximam inflammationem et fere totius cruris exulcerationem, excitat, ita ut chirurgus maxima adhibita

bita diligentia, vix trium hebdomadam spatio, illud exsiccare et sanare posset. Paroxysmus iterum remittit, et secunda valetudo ad aliquot tempus succedit, revertit autem semper hic paroxysmus et ita quidem ut initio longius et vel semestri intervalum concedat, tandem autem et ultimo præsertim anno breviora intervalla essent, et tribus mensibus vix effluxis, jam iterum redeat. Sequentem ordinem hos paroxysmos servasse, addebat æger; Inopinato semper et quasi nictu oculi citius, dolores circa malleolos et plantam pedis nunc unius saltem, nunc utriusque pedis, invadere, cum immobilitate et gravitate totius cruris; dolores hos initio obtusos et frigoris cujusdam sensu conjunctos esse, dein autem pungentes, lancinantes et quasi carbo admotus locum dolentem adureret. Pervigilia perpetua et insomnia semper paroxysmo conjuncta fuisse, et interdum trium hebdomadam spatio, paucas tantum horulas somno indulgere potuisse. Mensem plerumque integrum, tanta acerbitate paroxysmum afflixisse, ut munere suo haud potuisset fungi, sed necessitate coactus maximo incommodo baculis innixus, ægre per hypocaustum ambulasset. Versus finem genu plerumque tumore elevatum esse, interdum etiam imum pedem tumorem hunc occupasse, et hæmorrhoidibus fluentibus supervenientibus, tandem paroxysmum plane desiisse. Fomenta ex secalino fursure et sale culinari parata et calide adplicata, magnum semper dolorum levamen attulisse; Hæmorrhoides illo tempore quo arthritide laborasset, demum in conspectum prodiiisse, et nephriticos dolores,



lores qui ante Podagræ insultum, sæpe et dirissime illum exagitassent, nunc plane desisse. Hæc quæ ille de morbo suo.

§. LXXIX.

Quum ego accederem, tres jam hebdomades cruciatus hujus acerbissimi morbi sustinuerat, et tanta sævitie adhuc ille affligebat, ut lecto decumbere cogeretur. Genu dextrum tumore elevatum et leviter inflammatum apparebat, et hic tumor cum totius cruris imbecillitate conjunctus erat. Pulsus erat debilis, et cibi appetitus prostratus. Consilium nunc dedi, ut genu et totum crus pelle arietina involveret, ne si lecto surgere cogeretur, frigus illud læderet. Victum ex carnis omnibus generis plane proscribo, olera mollia, avenacea hordeacea, acidiuscula lubenter concedo. Diaphoretica, bezoardica, nulla commendo, exhibeo sequentem Pulverem, ℞. Pulvis Rhabarb. ℥ij. Cremoris Tartari ℥j. alternis diebus mane capiendum. Serum lactis cremore Tartari paratum omni mane, ad mensuræ unius quantitatem assumere, et etiam illis diebus, quibus pulverem Rhabarbari ingessit, illi superbibere debuit. Pomeridie etiam unam aut dimidiam seri lactis mensuram, ut ad sitim extinguendam biberet suasor exstiti. Cerevisiam et vinum prohibeo, et potus ordinarii loco, decoctum avenaceum quod palato illius gratissimum erat, commendo, interposito interdum Decocto Rad. Chinæ aut Caryophyllatæ. Simpliciter hac methodo meris temperantibus et lenioribus  
evacu-

evacuātibꝫ, aliquot dies continuata, valetudinis  
 restaurata aliqua spes iterum affulgere incipit, per-  
 vigilia et insomnia haud amplius nocturnam quie-  
 tem inturbant, sed placidus somnus, vires qui  
 reficit, diuturnis pervigiliis tritas, ejus loco suc-  
 cedit. Aperiuntur etiam vasa hæmorrhoidalia,  
 large sanguinem fundunt, et hoc modo plethoram  
 egregie imminuunt, sanguinis per universum cor-  
 pus circuitum liberiores reddunt, ejusque impe-  
 tum versus locum affectum et debilitatum mirifice  
 revellunt. Dolor podagricus evanescit et paroxys-  
 mus finitur, superstita adhuc aliqua virium imbeci-  
 llitate. Vix tres menses Paroxysmus, illum im-  
 munem esse sinit, invadunt iterum dolores acerbis-  
 tendinem achillis et plantam pedis dextri, adsunt  
 etiam pervigilia et insomnia, ita ut totas noctes  
 irrequietus transigeret. Memoratu dignum est,  
 uti supra jam commemoravi insomnia et pervigi-  
 lia, semper paroxysmum podagricum et anteces-  
 sisse et comitatum esse, ita ut si etiam dolores so-  
 mnium concessissent, tamen ne quadrantem quidem  
 horæ dormire posset. Statim nunc sub primis  
 hujus paroxysmi initiis, eidem methodo qua præ-  
 cedente paroxysmo usus sum, firmiter institi.  
 Victum ex carnibus, cujuscunque demum generis  
 sint, plane prohibui nec non vina et cerevisias.  
 Alternis vicibus singulis manibus pulverem Rha-  
 barbari exhibui; Serum lactis mane et pomeridie  
 ordinavi, addidi etiam interdum pulveres tempe-  
 rantes ex Nitro, Saccharo lactis et paxillo Cam-  
 phoræ, cibo utebatur parciori et digestionis faci-  
 lis, jusculis scilicet aquosis, et mollibus oleribus.

Hac



Hac methodo biduum vel triduum quum usus esset, dolores omnes jam evanuerant, pedibus ut olim insistere et obambulare poterat. Ut multa paucis dicam, hac simplici et efficaci methodo per quadriennium ferè, semper felicissimo effectu usum, quoties graviozem podagræ s. arthritidis paroxysmum imminere, noctes insomnes, pervigilia et ipsi jam incipientes dolores circa genua et plantas pedum, docebant. Semper enim tam felicem esse mihi contigit, ut hostem in limine quasi propellerem, omni enim hoc quadriennio, ne horulam quidem, ob arthriticorum dolorum gravitatem, lecto decubuit, quum antea quovis anno plerumque octo et plures hebdomades, et interdum multo longiori tempore ob paroxysmi gravitatem et dolorum acerbicatem illi affixus fuisset. Ad depurandam massam sanguineam in eunte semper aestate, acidulas Pyrmontanas cum connubio Rhabarbarinorum medicamentorum, quæ semper subjunxi, duas tresve hebdomades bibit. Quum nunc egregium quem Rhabarbari usus, in debellando et profligando paroxysmo arthritico, præstabat, effectum, probe considerarem inde conclusi, Radici Rhabarbari præter alias egregias et omnibus cognitatas virtutes, etiam Specificam quandam ad curationem arthritidis et podagræ inesse; id ergo consilii dedi, ut æger pulvere Rhabarbari cum Cremore Tartari maritato, semper ut medicina quadam domestica uteretur, ira scilicet, aut alio affectu, commoto corpore, et bile ferventiori, semper tantum quantum cultri cuspis continere potest, Rhabarbari et totidem Cremoris Tartari

AR  
teri affum  
facilitati  
neri illi ha  
iori facilit  
annis, ipi

Simp  
et experi  
dam arth  
candum  
tis Clari  
re volui  
rias meth  
quibus a  
moris acer  
nus ilorum  
multis tunc  
sum hauec  
rum, J  
rhabarbari  
naturalium  
quom exp  
precepta,  
negligende  
dici cordi  
cure cordi

tari assumeret. Ita optime hujus ægri prospeximus sanitati, sæpe enim confessus est, se labores muneris illi sacro quod ornabat, conjunctos, jam majori facilitate, ferre posse, ac antea et prioribus annis, ipso flore iuventutis adhuc constitutus.

## EPICRISIS.

### §. LXXX.

Simplicem hancce methodum qua natura et experientia duce et magistra, ad debellandam arthritidem, morbum dirissimum jure vocandum, usus sum candide aperire, et sententiis Clarissimorum scientiæ nostræ Viris submittere volui. Mearum haud partium esse puto, varias methodos Experientissimorum Practicorum, quibus a tot inde Sæculis, ad circurandam hujus morbi acerbitem, usi sunt enarrandi, multo minus illorum medendi rationes aut castigandi aut in multis encomiis celebrandi. Id tamen persuasus sum hancce curationis methodum, solo temperantium, leniorum evacuantium et in his præcipue rhabarbarinorum, et accuratori diætæ et rerum non naturalium observantia, ambitu sese continentem, quum experientiam, magistrorum quæ superat præcepta, commendatricem habeat, haud plane negligendam esse, dignam potius ut etiam alii medici cordatiores, quibus suorum ægrotorum salus curæ cordique est, illam sublimem vocent, uberiori



ri sua experientia, si in ægrotorum salutem celsit, illustrent et commendent, aut si putent laudem illam, quæ mihi videtur illi non deberi, id ut candide mihi et publico exponant. Quod reliquum Cl. Dno. Liger (g) haud assentio, qui Vinum Burgundicum aut illud quod agro Campanensi provenit, ut certissimum remedium contra arthritidem proponit, et noxam potius quam salutem hoc morbo divexatis, afferre, firmissime credo. Electricitatis laudes a variis in curatione podagræ et arthritidis celebratæ, parvæ sunt vel nullæ, quod ratio non solum sed et experientia confirmat. Cortici Peruviano, herbæ Chamædrios, Chamæpytios, lacticiiniis et frictionibus, justas suas laudes statuo, et justo ordine et regimine si exhibentur, egregiis viribus pollere, nullus dubito.

§. LXXXI.

Gratissimum illud remedium quod præcedenti memoravimus Spho, a Cl. Liger, ut infallibile et certissimum, propositum, paullo exactius considerare, et quo fundamento ille, Vinum, pro medicamento

(g) *Traité de la Gourte, dans lequel apres avoir fait connoître, le caractère propre, et les vraies causes de cette maladie, on indique les moyens les plus surs &c. par Charles Louis Liger. Paris 1753.*

mento contra hunc morbum laudare et omnibus commendare audeat, quod a plerisque et Celeb. Medicis, sæpissime caussa arthritidis haud immerito dicitur, et sæviente paroxysmo, ut res nocentissima damnatur, disquirere, haud inutile erit. Fieri enim posset, ut ægri autoritate, Dni. Liger, qui se Doctorem Regentem Facultatis Medicæ, Universitatis Parisiensis, vocat, et frontem Libri sui magnifico hoc et multa promittente versu exornavit,

- - - Peragro loca nullius ante  
Trita solo - - - Lucret. L. IV.

seducti, aliorum remediorum, quæ ratio sana et experientia dicitur, pertæsi, ad hoc amœnissimum remedium ceu anchoram suæ salutis confugerent; qui autem quum hac methodo palato suo gratissima, levamen morbi sperarent, certe maximam et haud irreparabilem sanitatis noxam inde reportarent; Concedo quidem Gallos et illarum Provinciarum incolæ, in quibus Vinum sponte nascitur, et qui illo potus ordinarii loco utantur, haud tam grave sanitatis suæ detrimentum sentire, si etiam durante et membra divexante arthritico paroxysmo, Vini usui indulgeant; attamen credo et illos haud sine omni noxa, Vini potum, præsertim solito largiorem, laturos esse; Id autem certum, quod illarum provinciarum habitatores, quibus benigna natura, nullum spontaneum Vini proventum concessit, et qui alii potuum generi adsueta sunt, haud impune Vinum Burgundicum et Campanense, si illo pro curatione arthritidis utantur, tulerint.

Vel



Vel propria mea experientia mihi exemplum, constat, Viri cujusdam Celeberrimi et in Republica Medica multis et elegantibus editis scriptis famigeratissimi, haud ita pridem defuncti, qui dum ex sententia D. Liger, Vini usu arthritidem, expugnare vellet, ipse morbi ferocitate victus, repentina morte enecatus est. Vera arthritidis causa secundum Clarissimum Dominum Liger, in nulla alia re quaerenda est, quam mucos quodam superfluo, qui liquida coporis condensat, et quibusdam victus et potus generibus, praesertim cerevisia et Musto ex pomis parato. Optimum nunc remedium, hunc mucum superfluum dissipandi et arthritidi radicaliter medendi, est Vinum Burgundicum aut Campanense. Celeberrimus Vogel, qui munere Professoris in Florentissima Universitate Gættingensi fungitur, qui in Bibliotheca Medica (b) librum Domini Liger recenset, rectissime judicat, methodum illius non solum improbabilem videri, sed etiam rationi et quotidianæ experientiae plane contrariam esse. Nam si arthritis a mucos superfluo ex victu qui oritur, originem ducit, hanc potius ab illo ciborum genere oriri debere, qui revera multo mucos abundant, e. gr. a cibis farinaceis, non autem a musto et cerevisia, quibus tanta mucos copia haut inest; sequeretur inde quod plebeji, rustici, et qui manuum laboribus victum suum sibi parant, magis arthritidi et podagra ob-

(b) v. N. A. Vogels neue medicinische Bibliothek des ersten Bandes 5tes Stück p. 394.

podagræ obnoxii essent, ac ditiores, qui farinaceis parce utuntur, quod tamen se aliter habere, experientia confirmat; Eadem hæc experientia magnam dubitationem movet, an virtutes quæ D. Liger Vino Burgundico tribuit, et multis laudibus effert, tantæ sint, ut podagram sanent, quum in Burgundia multi reperiantur homines, gravissime qui podagra laborant; Etsi nunc in agro Campanensi pauciores sint, quos arthritis invadit, attamen haud verisimile est, id Vino, quod terra sua gignit, tribuendum esse. Hac nunc hypothesi ductus, omne cibi genus, quod muco abundat, ut nocivum damnat, scilicet gelatinas, carniū juscula, farinacea, avenacea et hordeacea, prouti majori aut minori mucī quantitate gaudent; quod autem rustici non æque ac ditiores, morbo huic obnoxii essent, inde evenire statuit, quod vegetabilibus minor mucī copia ac animalibus substantiis inesset. Videmus hinc maximum damnum quod interdum temeraria quædam hypothesi, veriori medendi methodo infert, Dominus enim Liger ne hypothesi quam sibi finxit, contradicat, necessitate coactus est, vegetabilia, quæ longæva experientia arthriticis saluberrima, esse probavit, ut nocentissimum victus genus damnare. Parili modo dietam lacteam, ut hypothesi contrariam, rejicit, quia lac muco abundat, et hoc modo fomitem podagræ subministrat. Arthritidem vagam, solo Vino Burgundico aut Campanensi, ut remedio certissimo sanat, et omni trihorio ejus cyathum bibere jubet; amœnam certe et jucundam viam in-

H

gressus




gressus est Cl. Liger, ad vincendum morbum atrocissimum, si quem alium, id tantum dolendum, quod hanc viam semel ingressi, haud assequantur exoptatam metam, amissæ scilicet sanitatis, perfectam restitutionem, sed experientia teste, longius progressi syrma malorum incidunt, quæ non sanitatis solum sed et vitæ periculum inducunt. Jo. Bernhardus de Fischer in egregio Tractatu, quem de senio ejusque gradibus et morbis nec non de ejusdem acquisitione, conscripsit, p. 249, venæsectiones et quotidianas pedum frictiones, senibus podagricis, insignem utilitatem attulisse, et paroxysmum per multos annos præcavisse, tradit. Venæsectionis præclarum usum, præsertim sub initio paroxysmi, in ægro, cujus historiam descripsi, ipse sæpe expertus sum, justo enim tempore instituta, et Rhabarbari aliquot pulveribus exhibitis, semper paroxysmus felicissime interceptus est, absque ulla inde orta sanitatis noxa. Celeberrimus Med. D. Gottofr. Hahn in Historia Podagræ Eminent. Cardinal. Phil. Ludov. nati Comitis a Sinzendorff, inter alia memorat, usum Melonum frequentiore, Illustissimo Comiti, nullam ventriculi cruditatem, creasse, nec paroxysmi acerbitatem, auxisse, sed levamini potius fuisse; confirmat hoc et meam experientiam, quum acetaria cujuscunque demum generis, sine ullo detrimento, lubens semper comedit æger noster, quod et ego facile concessi; nam quum animadverterem, cremorem Tartari, qui nil aliud quam acetum forma sicca, maximæ semper uti-

ART  
 trilitatis et  
 extra pa  
 rem. Ip  
 vincuntur.  
 opone val  
 dum. Ul  
 titudine et  
 pimus Ca  
 cui tiribus  
 ximope e  
 Clarissim  
 historia de  
 electrica  
 rum et  
 non semp  
 que soler  
 in motum  
 ventrem,  
 multa eq  
 ego plenit  
 titudine et  
 etiam ha  
 demandum  
 peritatis  
 vitiis et  
 pollere.

(V) v. ejo  
 1759

utilitatis esse, haud vidi, quamobrem acetaria et extra paroxysmum, et durante illo, reprehenderem. Ipsa etiam experientia sententiam hanc vindicabat, æger enim comestis acetariis semper optime valuit, nec ullum inde sensit incommodum. Ultimo de vi electricitatis, quam in arthritide et Podagra, multi maximi faciunt, et imprimis Celeberrimus Linnæus, peculiari scripto, cui titulus, confectaria electrico-medica, maximoperè commendat, pauca addam. Apud Clarissimum Zachariam Vogel (i) leguntur historiæ de effectu quem concussiones, quas electrica machina produxit, in corpore ægrorum edidit, satis qui docent, electricitatem non semper tuto adhiberi, fieri enim plerumque solet ut materies podagrica ab electricitate in motum acta, metastasin ad interiora, in venterem, pectus et caput faciat, et hoc modo multa eaque gravia mala inducat. Assentio ego plenissime sententiæ Cl. Vogelii, qui in arthritide et podagra, illam haud vult adhiberi; attamen haud plane ejus usum rejiciendum et damnandum existimo, quum e contra plane persuasus sim, in curandis multis affectibus et vitiis corporis, magnis electricitatem viribus pollere, et merito justas illi laudes statuentes esse.

(i) v. ejusd. Anatomische, Chirurgische und Medicinische Betrachtungen und Untersuchungen. Rost. 1759. p. 314.





## ERRATA.

- p. 7. lin. penult. cadendis lege cædendis.  
p. 9. lin. 13. ilei in lege ilei et in  
p. 17. lin. 19. malaxato lege malaxatum.

Si plura adhuc emendanda et corrigenda  
Lector Benevole! lectione hujus li-  
belli occurrunt, id ut æqui boni-  
que consulas, rogo, dum mihi non  
semper licuit, aliis laboribus implici-  
to, revisioni interesse.

origina  
tipes li  
ni bo-  
chi non  
amplic




Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.


16

f. 6. p. 115.









PODAGRA. 115

quamobrem acetaria et ante illo, reprehendentia sententiam hanc mestis acetariis semper inde sensit incommotricitatis, quam in armaximi faciunt, et inæus, peculiari scripto, electrico - medica, maauca addam. Apud Vogel (*i*) leguntur in concussiones, quas t, in corpore ægrodocent, electricitatem i, fieri enim plerumodagricia ab electricitate n ad interiora, imum t faciat, et hoc modo a inducat. Assentio Cl. Vogelii, qui in arm haud vult adhiberi; s usum rejiciendum et quum e contra plane dis multis affectibus et electricitatem viribus as illi laudes statuenffe.

; Chirurgische und Medicis und Untersuchungen. Rost.

Handwritten signature or mark.